Ex Libris
Joannis Nepomuceni
Hamienstle
mp

FLOS PURPURARUM, ROSÆ

ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI,

D. CHRISTOPHORI IN SŁUPOW SZEMBEK

EPISCOPI CHEŁMENSIS,

IN SACRI HONORIS TEMPLO

PRÆSULEIS ILLATÆ ARIS

Et à devinctissimo

TAM MAGNO NOMINI,

Quàm

INFULATIS HONORIBUS

COLLEGIO CRASNOSTAVIENSI SOCIETATIS JESU,

PANEGYRICO CULTU

ADORATÆ.

Reimpressus
POSNANIÆ Typis Collegii S. J. 1742.

ILLUSTRISSIME,
EXCELLENTISSIME,
REVERENDISSIME

ANTISTES.

IMmortales Tibi gratias, triumphalem Honori pompam adornamus: quia iſtam, applaudens ſibi de Te Dignitas expoſcit; illas Tu mereris, quòd Frontem, quam ſummîs etiam Infulîs celſiorem habes, Chełmenſibus Tiaris acclinâſti. An enim Culmen Tuum, quaſi Fortunæ munus, Gratulatio efferret? aut Honori pro Faſtigio litarent Gratiæ? Peccaremus in Te, PRÆSUL, ità Fortunæ devoti; & accenſo illi thure, Purpureum Nomen denigraremus. Tui Flamines ſumus, non Fortunæ: Tibi proinde Sacra; Tibi plures, quàm vel fingere fabulæ potuiſſent, Gratias perſolvimus, quòd

Dignitatem admiſeris, cui plùs contuliſti, cùm acciperes. Jam è Tuo, tanquam ex Olympi Vertice, tantùm non ſidera utròque cornu ferit; tranſcendit Cœlum Infula. Grandem in Orbem crevit Annulus, Tuo admiſſus pollice; ut integram licèt dextram, parem illi deſperare incipiat Honor, poſt Tuum Digitum; quem tamen immenſitate ſua, adhuc non totum ambit, acſi Honoris Tui Punctum eſſet, qui Orbis eſt, alterius. Pontificius ſcipio, quaſi Midam ſuſtentâſſet, Tuo pretioſior attactu, auró effulſit: dignus quem pro ſceptro ferat Jupiter, ſuos committat nutus, Deos advocet, imperet. Senatus Tui Cathedra, jam Regni ſolium, & Tu Sacrorum Rex. Tantum feciſti Altum Honori! & ſolùm iſtud (quanquam in hoc ſumma omnia) ad Faſcium magnitudinem egeras, quòd admiſeris. Satis nimirum atomo in Alpium ſinum venire, ut terras deſpiciat. Satis, ſcintillam accipi ab incendio, ut tantùm non Solem exſtinguat. Plurimi eluctantur in Apices, ut emineant: hi ſub Violas, illi ſub Roſas concedunt, ut floreant. Vidimus etiam, qui contra malam fortunam Sacras Cruces arriperent; aras tangerent, paternarum opum rei. Quibus cæca eſt felicitas, appendunt Templis vota, quò diem fortunæ, publicum Solem videant. Fuerunt, qui labem Originis deleturi, Sacro ſe Fonti immergebant; ſubibant Templa, ceu

inter

inter Aras, quærerent indulgentiam, quæ crimine illos fortunæ absolveret. Omnes denique ex fastigio pares, sed summis; omnes Hispaniæ Grandes videri ambiunt: suóque è Templo, suis ex Aris depulso Honore, Altaribus se inferunt adoranda Numina. Tu verò PRÆSUL solo Te Magnus es: Fortuna esses Dignitatum, quamvis suppedaneum Orbem non haberes. Pontificium Tiaram perinde, atque Cœlum Atlas, vertice tollis, ut efferas. Surrexisti in Culmen, ut Honorem, illam virtutis & meritorum umbram, majorem, atque adjecta Tuî imagine redderes pulchriorem. Nihil Soli conferunt Cœlestes Orbes, nisì Zodiacum; id est viam, quâ à signo ad signum vehat radios, & Cœlum faciat serenissimum: Nihil Tibi, nisì Appiam aperuit Honor, per quam non exiguo merita curriculô, sed Solis curru, diem, horas aureas inveheres Dignitatibus. Tabulam accepisti à Fortuna, in quam, veluti Apelles alti sanguinis, & Tuarum colores virtutum transferres: animares illam viva Præsulis optimi imagine, hoc est Tuâ. Non igitur Tibi Purpura, color est meriti; sed Tu Trabearum Murex, Tu Honoris Honor. Quis enim Purpuram ROSARUM compserit, quibus nativum muricem, etiam Honor invideret, nisì Domi Tuæ florerent? Filum Honoris, inductæ ornatis Gemmæ SZEMBECII: consecratis Dignitatum

Templum, Magna Numina. Constat Orbi Vestra Pietas, quæ Aris Vos admovet, non clarendi ambitus, utpotè citra commodatam à Templis lucem, ardentibûs Domî Ceris ILLUSTRISSIMOS. Nullam ad Sacros Fontes, sive Originis, sive Nominis Vestri maculam adfertis; quia in Fortunæ gratia concepti, quia ante fascias Candidati ad Purpuras. Tantum etiam abest, Te, PRÆSUL, supplices aliquando pro Fastigio manus, (nisi cum deprecareris) extendisse Superis; Vota ad trabeas intulisse Templo; ut ipse potiùs maximum semper Honoris votum fuisses. Nunquam à cœlo abiit; nunquam Fasces humô surrexêre; Divinos ad pedes sternebantur Purpuræ; Illustrissimi Tituli, tanquam votivæ tædœ, ardebant ad Aras, ut à Superis Tè impetrarent: jámque damnare cæpimus Honoris preces eò, quòd ità à Cœlo Te extorqueret, quasi Tuæ Humanitatis oblitus videretur. Cessisti ergo ut nutui Superûm, & Dignitatum precibus. Quidquid Tibi sivè ex Domo vernantissima, sivè ex animo Floris provenerat, in Trabeatum Decus expendisti. Illam terrarum Gratiam, illam Regnorum Coronam, illam Martis Lauream, illum Trabeatæ Virtutis, Purpurei Sanguinis, & omnium FLOREM PURURARUM, ROSAS Patritias, Honoris donâsti Templo, exornâsti Altaria.

Sub-

Subsiste verò tantisper pro Aris istis FLOS Purpuree: Nos jam ultra Polonum Orbem, terrásque rapimur, ad natale Tui solum, ad Parentem Glebam. Néque enim aut è Cœlo Vestras ANTISTES, cecidisse ROSAS jactatis, ut sua quidam Lilia; aut in suspensis ex aëre hortis crevisse, quò nullus adeat, nisi animum expediat non rediturum, ne ad nos prima referat exordia. Ut solis cunas, sic Gentis Vestræ novimus. Quàm procul à fastu, ANTISTITUM MODESTISSIME, tam longè ab illis abivisti, qui Familiæ suæ Caput inter nubila condunt, amántque nesciri, quando, & ubi cæperint: tanquam illustrius sit cœlum, quod nubes texerunt. Audivimus non rarò ità se tumido pariter ore, ac narratione, Fastum jactâsse: Primam Ortûs sui Auroram, etiam Solem ipsum præcessisse, cùm infans adhuc Orbis vagiret, balbutiret rumor, cùm primò nasceretur antiquitas. Ille suum Atavum celebrat, quem cum Fabulis formavit Prometheus, & Phœbi radiô animavit. Hic primum Generis sui Auctorem, ceu Sphingis Hominem ænigma esse gaudet, vix Oedipo tangendum. Ostentantur fumo obsitæ imagines, sed quæ adhuc à lapsi Phaëtontis ignibus contraxerunt fuliginem. Proferuntur Ceræ; primum utique opus, quod Soli Apum Reges, ad mellei laboris normam composuerunt. Talia multi. Vos cum Orbe sentitis, Nos Vobiscum; pretiosum esse

esse aurum, etsi non lateat; ubi eruitur. Non *ab Jove tertius Ajax*, non qui pariter tertius *è Cœlo cecidit Cato*: Vestri sunt Proavi, Majores Vestri. Nullus se unquam ex Vobis ad Deos retulit; quia semper omnibus libebat magis Homines esse integerrimos, quàm semi-Deos. ILLUSTRISSIMAM proinde DOMUM Vestram, Solis Regiam dixerim; ex radio nasci mavult quàm ex umbra. Aulam Famæ dixerim; innumeros aditus, mille portas aperit, admittit omnes, licet ingredi, lustrare initia, videre plantam, primáque vestigia. Ideò fortè Patritium Insigne explicatas, reclusásque ROSAS exhibet, ut prima FLORIS Vestri semina omnibus spectare liceat. Spectamus, miramúrque; quia suam quodvis Folium, in cunis adhuc, habet purpuram. Quàm autem gloriosum Vobis! quàm Imperatorium etiam, quod Vestrum est! Aquisgranô, quod Cæsares coronat, emersistis; id est, inter Coronas Imperiales, Vestræ creverunt ROSÆ: ne & Princeps Florum Rosa, à longè peteret diadema; & ne puderet Vos, inde terris, inde Poloniæ, inde felicitati publicæ advenisse, unde Cæsares exeunt. Vidimus, cùm Purpureus Agricola Honor, solum hoc scinderet; inversîs coronarum radiis occaret humum; aureo velle terram contra tempestates muniret. Vidimus, inquam; atque divi-

(a) *Ovid.*

divitem Saturni messem animô dispoſuimus. Ecce autem (ô digniores Aſtreæ manu ſpicas) ecce SZEMBECIÆ rubuerunt ROSÆ! Straverunt terram purpurâ; non aliter, atque ſurgens Aurora cœlum; Ærythræum marginem corallia. Jubes hoc PRÆSUL ILLUSTRISSIME, ad lituum Famæ, vel (ut pro majeſtate claſſicum ſit) ad Veſtræ Gloriæ tubam cani, quod omnes jam terræ, cœlum omne audiit. Eodem Solo, & ſemina Imperii, & Roſeæ Domus creviſſe; eôdem Aquisgrano, & Cæſares exîſſe, & SZEMBECIOS; utrosque jam Purpuratos. Magnum hoc! verùm quod ſequitur, ipſius eſt honoris faſtigium. Suam Vobis Coronam pro cunabulis adornavit Magnus CAROLUS; Purpuram obtulit pro faſciis; & infantili, PULCHERRIMÆ tamen PROSAPIÆ, Aureum dedit pomum pro crepundiis: Coloſſi locò, Novam ſed jam meritis antiquam, ingentibus Viris gravem Domum, ſceptrô ſuffulſit, ceu Honoris Aulam. Nimirum, ſimul CAROLUS Imperatorio diademati, ſimul GORLACUS SZEMBEK Nobilitatis Coronæ porrexit Caput: alter Imperii Cæſar Auguſtiſſimus; alter Heroum, Senatorum, Vice-Regum, hoc eſt SZEMBECIORUM Princeps Nobiliſſimus, & veluti Rex. O Solis illam planè Diem, quæ ROSAS Veſtras in Cæſareæ Florem Purpuræ, in Regnorum ver aperuit! Tota ſibi Germania,

in Pæſtum, in Paradiſum, Regna Floræ; tota (quia inſoliti admiratione odoris pendebat) in penſiles Semiramidis Hortos abiiſſe videbatur, dum ſeſe in Solio Lilia Gallorum cum Carolo; Veſtræ in Imperio ROSÆ explicuerunt: ubi utrùmque Florem adeò confudit fragrantia, ut ROSAS Veſtras purpurâ diſtinguere Honor debuerit. Itaque unus Carolum in Solia; Vos in Subſellia, in Curules, in Cathedras inauguravit dies. Ferunt, Coronatum illum Vatem, ex Solio uſque in Poloniæ thronum, Prophetam oculum; uſque in ſæcula animum augurem projeciſſe; atque (quia & Regibus quàm manus ſunt longæ, tam palpebræ;) & vidiſſe omen: REGUM Vos quondam INAUGURATORES futuros: & eſtis. Sic pridem Vos Cæſares amârunt Auguſtiſſimi; amant Auguſti Reges; pandunt etiam Purpureum Gremium Auguſti Patres. Vellem, nunc adeſſet Livor, ſi quis eſt: metiretur magnitudinem! cæterorum exordia pompâ carent. Parvæ ſunt ingentium Proſapiarum, & veluti Apellis ſubtiles Lineæ, quas vix Zeuxes viderit. Etiam primæ magnitudinis ſidera, dum ſurgerent, neſcio, an præter Noctuam quis aſpexit. Veſter, Magne Antiſtes, Ortus, ceu Solis eſſet, Aquilas Germaniæ ſpectatrices habuit. Totius Imperii oculos implevit DOMUS Veſtra, dum Planta adhuc eſſet: ſed Planta, qualem ſceptro delineâſſet

lineâſſet Honor, Aulam Dignitatibus condi-
tutus. Inter feſtiva fulgura, inter tormen-
torum fulmina concepti eſtis, quaſi uniones
naſcerentur, quanquam Vos etiam Corona-
rum Gemmæ. Alludente lætitiâ, in cœlum
ùſque ſaliebant ignes, ſceptrorum Caroli, &
Veſtrorum Nuncii Natalium: redibántque ca-
dentibus ſecum ſtellis; (b) ut etiam Cœlum
illuſtre de Vobis judicium mundo dare vide-
retur. Crede calamo PRÆSUL! Tam illu-
ſtri pompa nisì Phœnicem naſci vidimuś, Pa-
rentè Sole; tanto plauſu, nisì Thebas, poſt
Amphionis cytharam, & Domum Veſtram
inter Imperiorum tripudia ſtetiſſe audivimus.
Neque inauſpicatò Veſtram attollebat Proſa-
piam Carolus, non vultures, (ut ſuam in
animo Romam erigenti Romulo) in omen ſe
obtruſerunt: quia Regnorum odiſtis cadavera.
Convolârunt Cæſareæ Aquilæ, quaſi jam Gne-
ſnenſem apud Vos nidum vidiſſent. Augu-
rium inde neſcio quis Phœbô plenus effudit:
Sublime volabunt SZEMBECII! poſt Celſi-
tudines, invadent Eminentias: Poloni Jovis
quondam Miniſtri, fulmina contra Patriæ Gi-
gantes ferent: Soles innumeros aſpicient.

Ex Coronario theatro, in aciem Carolum
vocabant bella, invitabat Gradivus; non ta-
men ſinè Vobis, ne à triumpho etiam, laureá-
que Vos ſecerneret. In Italia, deſiderium,
Lon-

(b) *Stellarum caſus, ſignum Judicii.*

Longobardorum Tyrannum armîs fractum, docuistis mansuescere. In Hispania, sudore bellico, & fuso hostium sanguine, ad internecionem delevistis Mauros. Territi Bavari, attriti Saxones, Hunni prostrati, invictum Heroum Vestrorum robur extulerunt, cadendo. Exiguum videbatur, armatas virorum laudes, triumphósque, suo in clypeo exarâsse Martem, omnibûs decantâsse tormentîs: Ergo Principes, imò Cæsares Oratorum, Vestri erant Oratores. Solium in Rostra; in Regale folium Purpura; Cæsareum sceptrum in pennam: Murex in Sepiam; in periodos pomum aureum; In Tullium, Demosthenem, Imperatores iverunt: Vos laudum Materies, Vos meta fuistis. Non humilî stylô Vestra attollebantur præclarè facta, quem Cæsares; non obscurô, quem augustæ Serenitates composuerant. Multis laudationem condiunt Platonis mella; sed quæ fucus aliquis laboravit, non Apis. Multos Syren Isocratis, Orbi cecinit; sed cantus hic, nænia fuerat sopiendæ, ac enecandæ veritatis. Vestra, PRÆSUL, tam procul ab assentatione laudatio, quàm Imperatores blandiri nesciunt, nisi Virtuti. Regulum, solas inter fabulas tulit in Cœlum Aquila: aut prodigiá formæ, id est Viros egregios, Ganymedes; aut belli fulmina Jovi defert. Qui encomiorum Vestrorum con iderunt nectar; Reges, veriùs Cæsares Apdum

sunt

ſunt ſinè aculeo, nullo vulnere veritatem confixerunt. Coronatæ illæ Syrenes, dum canerent SZEMBECIOS, nullus Ulyſſes (niſi Ceræ Veſtræ fuiſſent) aurem clauſit: ceu totidem Magni Uniones, quot ingentia facta, auribus insererentur. Henricus Septimus, Carolus Quartus, Rudolphus Secundus, mutatîs veluti officiîs, Ephestiones erant, Vos Alexandri; quia pro Vobis loquebantur. Vos gladiô fortiter pro Soliis; illi pro Domo Veſtra pugnabant auguſtè. Vos hoſtium ſepulchra; illi Gloriæ Veſtræ monumenta attollebant: Vos agebatis fortia, ſcripſerunt Cæſares. Legit hucùſque Orbis, Henrici Septimi characteres, legit Gloriæ Veſtræ notas; quas à gladio ad pennam, ab hoſtili ſanguine ad Sepiam, à triumphis ad laudes HENRICI SZEMBEK, translata manu conſignavit, & vel in obſcuro atramenti fecit clariſſimas. Illum ſcilicet, *pro Imperii ſui ſtatu, multis in locis, periculo perſonæ, ac ſubſtantiæ placere ſibi meruiſſe*, aſſeruit, ſcripſitque. Breviſſimè ſumma! ut immenſam triumphi gloriam, in lauream; ùt mille Solis radios in exiguam cryſtallum; ùt Orbem in punctum? ità Centifolias ROSAS, in tenuem, ſed Gemmam, collegit Imperator: quia ſic loquuntur Numina; ſic funduntur Oracula. Magnificum hoc, & tantum Hectorum! non vultu ad ſpeculi aciem, ſed gladii, exculto, ſoliis placere; quòd Narciſ-

ſorum

forum hoc, non ROSARUM ducatis, formâ se commendare. Non uncto odoribus crine, tanquam Arabiæ Athletæ; sed cruento perfusi ceromate, Imperatorum animos expugnâstis: bene conscii, sanguineîs nonnisi unguentîs tingi Purpuras, & intro bibere. Quamvìs autem Sabæo pro balsamo, Martis oleum spiraretis; quamvìs non indecoro pulvere sordidi, tamen bene Imperiis, bene terris omnibus olebatis. Itaque speciosi fuistis ex horrido, ùt Leones: *Personæ fortunæque periculîs cincti*, placuistis, ùt Rosæ spinis septæ: vulnere concisi, Augustioribus Dariô, decori eratis, ùt Zopyri. Nimirùm, Vestræ etiam ROSÆ nunquam formosiores, quà dum multo sanguine rubuerunt. Jam Carolus Quartus, quos Nomini Vestro fastos condidit? Certare Vobiscum visus Cæsar, quem Vos ferreô stylô æternitati; (nihilque acutius Mars ipse) aureô ille virtutem Vestram descripsit: (& nihil pretiosius exarâsset Honor.) Pactolo pennam immersit, aurô imbuit, dum pretiosa Majorum merita, in Auream Bullam transferret. Legebantur illic ferreæ Virtutes Vestræ; & tanquam apud Indias, plus Imperatoriæ Bullæ aurô æstimabantur. Legebantur bella Vestra, pugnæ, triumphi: & adhuc in divite illa pagina Heroës videbamini: aurum vincebatis pretiô meritorum. Iam divites nascentis Minervæ pluviæ, Iam pretiosa Midæ folia

lia optari cœperant, ut par ſepia, par contin-
geret pagina, æſtimatiſſimis Virtutibus deſcri-
bendis: timebatur tamen, ne imber etiam au-
reus, Veſtro vilior Sanguine: Midæ folium,
Veſtris inferius eſſet laureis. Ità ſupra aurei
etiam ſtyli pretia eſtis SZEMBECII. Veniret
etiam Gallicus Hercules, & laudes Veſtras au-
reâ oris ſui catenâ connecteret; nondum è di-
gnitate, Martiale Veſtrum plumbum, nondum
ferrea illa, quæ hoſtibus injeciſtis, vincula ce-
lebraret. Commodate nobis Regnorum Tor-
quati, ARCHI-PRÆSULES CELSISSIMI,
MAGNI ANTISTITES, aureas pretioſo de
collo pendentes catenas: & Majorum Veſtro-
rum laudes nectemus vinculîs, qualibus nec
Herculem Tyrus ligavit. Concedite Regum
Oratores, Annulos Veſtros! Signatorias Gem-
mas CANCELLARII concedite! quodvis elo-
giorum Veſtrorum Punctum, Gemma erit;
quævis, ceu Annulus, rotunda periodus. Sed
manum tantiſper movemus de tabula: damus
erudito Apelli ſpatium, ut encomiorum du-
cat lineam, ingentium factorum lineamentis
parem. Ex campo Oratorio, novæ SZEM-
BECIORUM Gloriæ Campum, an ſylvam ſu-
bimus; relicta Pallade, Dianam; amandato
Oratorum Principe Cæſarem, & Vos ſequimur.
In pacis ſinu quieſcebant arma Auſtriæ, da-
túmque ferro otium, ac veluti ſomnus, ut
multo hoſtium ſanguine ebrium, triumpha-
lem

lem crapulam edormiret. Nescivit tamen Hercules feriari; cùm homines defuissent, feris, sylvisque indixit bellum Maximilianus: optimè gnarus, etiam hunc Alcidæ Laborem fuisse, Leones sternere, exanimare. Primùm tamen timuit Cæsar, ne timeretur: timuit, ne animalium Reges, fugerent pugnare cum Cæsare. Cassibûs igitur, ceu obsidione, nemus cinxit; ut viam fugæ videret non nisi feritas, non h beret. Mox non tam belli classicum, quàm triumphi signum dederunt tubæ; & toto ferarum Regno decantatus Maximilianus. Ipsa | cubilibus suis jacentes feras excitavit Diana, ut Imperatori assurgerent. Ultrò se in scopum Leo; ultrò suas, tanquam in metam pictas à naturâ maculas stitit Pardus; quasi non mors jaculum protruderet, sed fortuna. Ambitus fuit, prædam esse, sed Cæsaris Prædatoris; spolium esse, sed Herculis. At sylvestres Capreæ, ceu intelligerent, SZEMBECIANÆ Gloriæ casses stare, in has per abrupta ruere, Alpes transilire, & ubi in abyssos terra fugerat, ire per aërem, etiam Apollinis sagittam prævertere; Cæsar posita Majestate, ne cursum tardaret, celeritatem induere, sequi, instare, omne à tergo Satellitium, tantùm non Orbem relinquere. Unus Principis Comes HENRICUS SZEMBEK, Maximiliani hæsit lateri, quia Cæsaris cor fuerat. Ecce autem insolens quoddam fatum, Imperatorem equô excus-

excussit; atque ad ingentem præcipitii hiatum, imò in ipsas mortis fauces projecit, jam jam devorandum, nisì magna licèt vorago, minor fuisset Maximilianô: & affixa scopulo Purpura suspendisset ruinam, per honoris illud filum tenue vitæ stamen augente fortuna. Quâ tunc celeritate succurrit fulmineus SZEMBEK! Aquilas Germaniæ prævolavit. Quâ fortitudine? Orbis terrorem, fata scilicet aggressus, perculit. Dum cæco impetu in pericula; in abrupta rueret; Fortuna Cæsaris credi poterat: poterat Romanus videri Curtius: sed brevius nomen fuit facti magnitudine. Nunquam magis expalluit Mors, quam dum, Purpuream sibi prædam eriperet HENRICUS. O invicti animi prodigia! Pendebant rupes; jam non ità sua mole, quàm SZEMBECIANÆ fortitudinis admiratione libratæ. Ipsæ Cupressi in Laureas effloruerunt Victori Fatorum: stabat trophæorum sylva; & quot scopuli, totidem post devicta fata statuæ triumphales; quas inter, Coronatus Colossus, veluti statuarum Imperator, Maximilianus eminebat. Quos Victoriæ huic triumphos? quas pompas conferam? Inter spolia Cæsarem captum; osseam mortem inter opima censebat invictus SZEMBEK. Si triumphum agere voluisset; Sesostris currum jungere debuerat fortuna, ut HENRICI Manubiæ veherentur. Quamvìs autem Solus in

 Cæsa-

Cæſares Amor SZEMBECIORUM , & ſola triumpharet Modeſtia ; nullus tamen ante auguſtior triumphus Imperium intravit. Tota Auſtria, ſiccato vultu, effudit ſe in gaudia, riſerunt lacrymæ, & ipſi gemitus canebant. Illa confluentium undique Populorum procella, Provincias, Urbes, Oppida, Palatia ſecum rapuit ; viſumque eſt totum in gaudiis natare Imperium. Alii Rupem illam, quæ, manibus veluti, ruentem prehenderat Cæſarem, in altum tollebant ; nec puduit Siſyphos eſſe : Dignam, ajebant, quam pretioſò radiò in adamentem ſol excoqueret ; dignam ut æternùm ſtaret, quæ Imperatorem cadere prohibuit. Saxis aliis humanos vultus Deucalion induxerit : Rupes iſta, nihil Pyrrhæ nihil Deucalioni debet, & totum Cæſarem tulit. Alii Imperatoriam commendabant Purpuram quod ſua etiam per vulnera, integritatem Maximiliani ſervaverit, & gravem licèt tenuerit Majeſtatem. Nunquam magis integra, quàm dum ità lacera, atque per fœdas cicatrices pulchrior ; Bombicis viſcera, tantum non cor ipſum, in trabeæ illius ductum fila, nemo non dicebat, quæ plùs integritatem Cæſaris amaret, quàm ſuam. Alii ſecuro jam lætoque metu ridebant fata, quæ adeò terruit SZEMBEK, ut pavore magis, quàm frigore tremerent mortuali. Omnes à vultu, ab invicto HENRICI animo, à miraculo facti,

tèu à ROSIS apes pendebant; difficiliusque illi fuerat, suspensam à vultu suo Austriam, quàm à scopulo Cæsarem avellere. Qui plausus interea? quæ Civium acclamationes? quæ in Te laudes HENRICE SZEMBEK congestæ? Tu Annibale animosior, Tu Atlante fortior, Tu Timotheô felicior, Tu Æneâ audacior, Tu fatorum Domitor, Tu Cæsarum Anima festis vocibus dicebaris: quia & scopulorum Alpes illas, geluque fatale calcâsti impavidus, & cadentem Poli Austrici solem sustinuisti infractus? & uno in Cæsare, Urbes, Provincias, Imperium cepisti insomnis: & mortuali ex rogo Patrem Patriæ extulisti invictus; mortes, pericula domuisti; inspirâsti vitam, propè exanimi Maximiliano. Erant, qui Germanicum, qui Austriacum dicerent, quòd cum Imperatore, Germaniam, Austriamque fuere vetuisses. Nihil tamen augustius, quàm quòd AUGUSTISSIMUS; nihil immortalius, quàm quod vivæ per Te Vocis Oraculô, acclamavit Tibi Cæsar: dum *Conservatorem suæ vitæ*, tantùm non Patrem, è Solio vocaret HENRICUM: dum SZEMBECIAS ROSAS, suæ FLOREM Purpuræ, vitæque fateretur Gentilitiis deinde Tesseris, in præmium, geminas CAPREAS sed cursû concitas, sed magnis euntes itineribus, adjecit. Sive ut celeritas IBICUM stemma sit SZEMBECIANI impetûs, quò in Regnorum, Regúmque ruit subsidia,

ſidia, occurrit periculis, Patriæ fata perſequi-tur: ſive ut conſtet, Gentem hanc infinita meritorum milliaria, tam gradivi in acie paſſu triumphali, quàm per Gloriæ Olympia pede celeberrimo decurrere; nec immenſo laſſati curſu, ſubſiſtere. Perpetuus hic quidam motus, imò curſus eſt non ſegnis Meriti, & ingentium Virtutum. Tandem quidquid coronamenti Auſtriacus Honor habuit, totum in triumphalem HENRICI verticem congeſſit ut numerô compenſaret, quod non poterat prœmii magnitudine. Mars, Caſtrenſes, ſervati Cives, Civicas, Muralem, defenſi Urbium Muri, Coronas Imperiales dedit Imperium. Auſtriacus ſcilicet Populus, Imperii Caſtra, Urbium Mœnia, Civium Curia, Senatus, unus erat omnia Maximilianus; & ûnus omnia in Maximiliano ſervavit SZEMBEK: Ità canitiem jam, rugámque in Veſtra PRÆSUL ILLUSTRISSIME, Domô, Virtus hæc contraxit, quòd Majeſtates attollatis; feratis ſuppetias, ſicubi fatis ſuccumbunt. Ipſæ Generis Veſtri cunæ, ſuſtentabant Solia: è faſciis liberatam manum, ſtatim fulciendis Regnis admoviſtis. Aliorum Domus, ſceptris ſe contra caſum ſuffulciunt. Vos Auguſtalium ſcipiones, Vos, labentium Columna Regiarum. Cœleſtem etiam Aulam, poſt feſſum Atlantem, ſubire humerô poſſetis, quia Alcidæ eſtis. Didicimus ex Vatibus, prandenti

in

in meridie Soli, omnes famulari Horas, mensam instruere; & omnes Primas, nullam secundam esse. Et facilè servitur; ubi in Tauro epulatur Phœbus, aut in Amphora. Fervent obsequia, dum calent pateræ: dum se aluit spes, mille salutes propinat siderum Regi. Hoc pulcherrimum! hoc SZEMBECIANUM, Ætates suas omnes, horam omnem, momenta, Serenissimis Regnorum Solibus, in obsequium addixisse, cùm ex fortunæ meridie descenderunt: cùm in Martis signo, veluti Domo consistentibus, tormenta fumant non pateræ, non lances instruuntur, sed lanceæ; non bellaria, sed bella; & cruor funditur pro mero. SZEMBECIANUM hoc, Coronatos Soles tantùm non ad Antipodas sequi, si relinquant cœlum; cadentibus assistere, ad omnem Fortunæ Diem dormientibus vigilare meliùs, quàm pro suo Phœbo sidera, pro Philippo Antipater; & suo iterum Polo invehere surgentes. Redibant ab Occidente Soles? Vos Auroræ fuistis. Attollebantur? Vos Atlantes. Debent ergo Vobis Serenissimi Soles cœlum suum; Debent Vobis Solia, Honoris Altum; Muricem suum ROSIS Vestris debent. Primæ Purpuræ; Orbis, serenitatem debet post nubila. Restat, ut indulgeamus votis. Pro reddito Regnis Sole, vivite Soles Illustrimos, æternos: pro depulsis patriâ noctibus, ævi aurei dies vivite, sed

 majo-

majores sæculis: ROSÆ Vestræ in Florem Regnorum, in Meriti Vestri Coronam vernenti, & omnes illis Menses Apriles sint.

Brevem moram concessimus Votis: & quò discessistis à Nobis SZEMBECII? Avolâstis celeritate Gloriæ; nec ullus Hippomenes, objectô etiam aureô Imperii Pomô, Vestram Prosapiam tenuisset. En jam totô Poloniæ Campô, Aviti IBICES discurrunt! jam posita cum sylvis feritate, per Gloriæ se theatra, per Martis aciem Sarmatici jactant; nec aliam, nisi Florum Sylvam, nisi Laurearum Nemus amant. Didicerunt nimirùm Domi Vestræ, tantùm inter Rosas discurrere, Florem utique Marti concolorem, Victoriarum consanguineum. Occurrit Vobis Polonia, vultu, quali Macedo triumphis obviavit: & immensum licèt, expandit adhuc sinum, quia Ingentes Meritis Viri veniebatis. Quis tunc in gremium Lechiæ, Vester impetus? non concitatior cursus ferri ad Magnetem; ad Chrysolitum, auri; magnorum fluminum, ad Patris Oceani sinum. Deduxerunt Vos Exteri soles, sed sub Laurea: deduxit Fortitudo, sed inter trophæa. In primo Sarmatici Poli aditu, poteratis fuisse Martis Sidus. (c) Accepit Vos Polonia; quia Virtutes amat. Vos Heroum Filii, illa Parens: odisse Nepotes non poterat. Solis

(c) *Luna juxtà Poëtas, Heroës post obitum accipit.*

Solis quidem Illa, non Lunæ Regio: tamen Heroum est receptaculum: Domus est Martis, ubi Numina belli, Penates supplent, accendunt focos Scævolæ, & Laureæ ignem alunt triumphalem, Heroës itaque SZEMBECIANOS acceperunt Tentoria: Nubes Martiæ vendicârunt sibi Belli Fulmina: ROSAS Vestras poscebant Purpuræ, & peregrinos ab Orbe Viros invitabat ad Curulem Gens humanissima. Verùm ad gladium priùs manum, quàm ad secures Senatorias; priùs ad sagum humeros, quàm ad Muricem porrigere maluistis; quòd Vestrarum etiam ingenium sit ROSARUM, ante Purpuram spinas ferre, & veluti inter hastas mereri Ostrum.

Primus Poloniæ limites ingressus, Gloriæ pariter ac Nominis Vestri Dux; & intra Regni fines, Primum Principium Lineæ Vestræ BARTHOLOMÆUS SZEMBEK; Vir, plùsne Herois adferens, an Hominis? nescias. Agnomini Virtute, etiam cutem, atque cum hac Hominem exuisse videtur, ut ipsam Fortitudinem indueret. Acerrimus Heros planè cum Marcello *GLADIUS REIPUBLICÆ*; (*d*) sed jam extra vaginam: exspectabat hostem, quem feriret. Plumbô alii, ferrôque se onerant, ut hosti sint gravissimi: Hunc, quamvis naturæ exoneratum induviis, millenæ etiam hostium manus ferre non poterant,

(*d*) *Plutarchus de Marcello.*

totáque sub triumphali onere adversa castra cadebant. Neque filum tantùm alti sanguinis Fons ille Vester in Polonia, BARTHOLOMÆUS SZEMBEK, junxit Vistulæ. Pluribus verùm non majoribus alveis, intrat mare Nilus. Ternos secum deduxit; sed Heroës, sed Triarios, sed (Magnitudinis hæc summa) SZEMBECIOS; ALEXANDRUM HIERONYMUM, HENRICUM. Nunquam vidi majorem Ternarium! Unus ALEXANDER, omnes MAGNI? omnes Castra, omnes ingens Exercitus; & quivis SZEMBECIANÆ stirpis Ramus, Robur belli. Plures fortassis desideraveras Polonia, non fortiores Dicerem, Heroës Gentis Tuæ ANTISTES, in ipsis quodammodo equis, armisque natos; & vix non Centauros: nisi quòd omnes, Prodigia sint Fortitudinis, non monstra. (e) Omnes Castrioti: manum priùs habere noluerunt, quàm gladium: in cunis adhuc, annotati triumphis. Novis Poloniæ Hospitibus, aciem priùs Heroum, quàm Campum, Regum Parentem circumspicere; hostem priùs requirere, quàm hospitium: pugnam inire, quàm palatia placuit. Polona se in hasta metiri voluerunt; quòd hæc ingentium Virorum mensura esset. An verò pares Ensi Sarmatico Vires attulissent, experturi dextras: quem veri-

(e) *Castriotus cùm nasceretur, manum habuit effigie gladii signatam.*

veriùs quàm Scanderbegi gladium, vix Gemi-
ni Turcarum humô extuliſſent ; tantùm non
unô levârunt digitô : Sivè quòd eſſent Fortiſ-
ſimi : ſivè quòd Heroicæ manûs deſideriô,
ipſum ſe ultrò levaret ferrum, & tanquam
ad magnetem excurreret. Ferream Viris lo-
ricam, id eſt Martiorum in Polonia Purpura-
torum Togam, Bellona induit, ſtatímque pe-
ctori, imò Amori ità concrevit, ut habitum
corporis citiùs, quàm illam exuerit Heros
animus. Framea deinde, nec diligenti manu,
lateri appoſita, tam aptè pendebat, ut dicere-
mus omnes, ad Polona arma creviſſe SZEM-
BECIOS. Stabant in armis, ALEXANDER
ac HIERONYMUS : ſi numerum, & ſan-
guinem ſpectes ? Gemini : ſi Robur ? quiſ-
que ceu Tricorpor Gerion, Heros multiplex;
quiſque grandis Manipulus, in quem, millenô
cumulô, ſegetem clypeatam Virorum, colli-
gavit Fortitudo. Stabant in armis, ſed Viros
terrendis periculis natos fugerunt bella ; & in-
ter Homines, hoſtis pænè deerat, quem vin-
cerent. Itaque bino Herculi, feras objecit
Mars Polonus : alteri Hydram ex Lerna Mo-
ſcuæ ; Leonem alteri, ex Sueciæ ſylvis ve-
nientem. (*f*) Priùs tamen ALEXANDRI
SZEMBEK vires, ad Libram Michaëlis Mol-

(f) *Alluditur ad Libram, cum qua D. Mi-
chaël pingitur.*

davi, fortuna bellica vocavit, ut expenderet; verùm gravem hosti spectavit, & ingentis Virum ponderis. Joannes tunc Zamoyscius Polonas ducebat Aquilas, non tam in aciem, quàm theatrum, ubi ipsius Fortitudinis Personam ageret SZEMBEK. Egit, atque ceu fulmen sese jaculatus involavit in hostem, toto campô terrorem vulnus, mortem sparsit; multos ferrô confecit, ut Gradivus, multos solo aspectu profligavit, ùt Pallas; plurimos vitâ, omnes visceribus Poloniæ ejecit, ùt hostium hostis maximus SZEMBEK. Ità nodum illum Moldavicum, qui strinxerat Lechiam, solvit ALEXANDRI Gladius. Revomuit tunc, quam spe devoraverat, Sarmatiam, Michaël Moldavus, ùt levior; mutuavit à timore alas, ut velocior fugeret. Turpem itaque cladem, cùm non posset, fœdam saltèm fugam adornabat; tergumque dabat vulneri, quò, integro vultu placeret adhuc Victoriæ. Sed turpe visum est ALEXANDRO; fugam sequi; & invictæ manus notas illic describere, ubi ab hoste legi non possent. Iret! dum Heroi victoriam, Fronti Lauream, Magnæ Virtuti Campum cessit. Gestire tunc Polona Castra, Dux, Miles, acies ipsa, omnia SZEMBECIANÆ Fortitudini applaudere; bellici litui, nunquam lætiùs canere, nunquam vocaliùs tormenta loqui, imò detonare, quàm Vestrum Heroëm, Magne ANTISTES. Mis-
sus

sus qui Sarmatico Jovi, Polonam Victoriam, & triumphale robur Viri, nunciaret Mercurius: at pluribus alis induisse pedes debuerat, ut Gloriam prævolâsset. Jam totò decantatum regnô fuerat: Joannes Zamoyscius, Magnus Exercituum Dux SZEMBEK ALEXANDER Magnus: Ille Clavâ invictus; hic Gladiô: Ille jubebat triumphos; agebat iste. Talia strictim: quia novæ jam viæ, Gloria se accinxerat. Bella Poloniam porrigebant bellis; verum & ALEXANDRUM: ceu in Heroicæ Virtutis exemplum, Virum per Regna circumferret Fortitudo. Rex ipse, SIGISMUNDUS Tertius, Majestatem veluti exutus, Dux in agmine, tantùm non Miles, tamen Augustus, solium permutavit Tentoriô; non primum Orbi daturus documentum, scire Polonos REGES, ut sceptrum, sic & Ensem stringere; ut Imperii frena, sic & Martialis Equi tenere: Scire Lechiæ SOLES, serenissimo de Capite, de manu tela jaculari acerrima. Aut Mitridatem in SIGISMUNDO ire putâsses, ut virus, quod se infuderat Smolensco, non ebiberet, sed ejiceret: Aut Principi CRACO, non similem, sed alterum, sed secundum, ut Moscuæ Draconem in Urbe configeret. Jam arctiori nodo, quàm vel Gordius ligâsset, Urbem strinximus jacuimus circa Mœnia; at SZEMBECIANI Fortitudo animi eminebat, terrâ in Urbem ivimus, ALEXANDER

tali

tantum non per aërem ruebat: Pro vallis tormenta, an mortes stabant; tamen maximum Hostis tormentum, fatum maximum, *SZEMBEK* fuerat. Nihil aggeres nisi Vulcani Officinæ; nihil Castra; nisi vivæ mortes; nihil Miles, nisi ignis; pugna, nisi flamma ALEXANDER omnia. Nullus Aries bellicus tam fortiter quatiebat *Smolenscum*, quàm *SZEMBECIANÆ* Capreæ. Volabant quidem ab hoste missiles ignes; sed, ad Martium Herois nostri calorem frigebant. Innumeros ferri globos, veluti Orbes, alios circa ALEXANDRUM ruere vidimus; alios, quasi metu elanguissent, cadere ante pedes; planè timebant pericula Virum lædere, nè irritarent. Ipsa tandem Mors, tormentô se explosit, & (prodigium fati) cœcô jaculô tetigit, trajecit Heroëm, fugitque per vulnus, ne corpore, tanquam carcere, teneretur rea. Nihil fatis; soli duntaxat Pectori indignatus, quòd suo cum plumbo non tenuerit fatum: veritus, ne quis ambigeret, an mortem pro Patria amaret ALEXANDER, quàm Visceribus dimisit. Diu deliberabat, an caderet: cecidit tamen, & ad sonitum ruinæ, Moscua intremuit: multum oppressit hostem, cùm rueret. Nimirùm belli etiam Fulmina nunquam magis feriunt, quàm dum cadunt. Jacuit ergo circa Urbem; ipsumque cadaver obsidere adhuc hostem videbatur. Parentatum Heroi

magno,

magno; quia SIGISMUNDI Regis, Patriæ omnium luctu, & hostili sanguine. Tormenta ipsa gemebant: luctus tamen, ceu Crocodili lacrymæ, necabat hostem; placandis Manibus Victimam. Quin etiam Polonus Mavors satis invictus, succubuit dolori; & qui potuit Aciem, non potuit tumultuantes lacrymas ordinare. Gladiò nonnisi brevem sepulchri titulum inscripsit ALEXANDRI tumulo:

Non Tu debueras cædi fulmine: Laurus eras: (g)

Decisam hanc SZEMBECIORUM ROSAM, suis imposuit Aris: & triumphabat inter Laureas, vincebat palmas triumphales; planè Laurearùm Flos, ROSA. Gemunt hìc; canunt alibì SZEMBECIOS, Martiales litui: hìc Mausolæorum fata, trophæa alibi fortuna illis erigit. Homines, an belluas ad pugnam conscripserat Sudermanus? nescio: sanè, Leo, animalium Rex, agmen Sveticum ducebat, (h) Acsi non in Livoniam nostram, sed ad feratum cubile venisset, jacuit campis omnibus; tremebantque terræ, vel si jubam concusserat. Objecimus Leoni SZEMBECIANÆ Cornu Capreæ; Telum veriùs quò pugnaret Fortuna. (i) Misimus HIERONYMUM

SZEM-

(g) *Guinisius de Stephonio.* (h) *Insigne Svecicum Leo.* (i) *Inter labores Herculis, numeratur cædes Leonis.*

SZEMBEK: Alcidem Lechiæ dixisse volue-ram, nisi quòd nullus illi labor fuisset, ster-nere Leonem. Ivit, pugnam, vicit: hostem vitâ, Leonem pelle exuit; non tamen vesti-vit humeros; quòd satis haberet caloris belli-ci: quodque corticem tantùm Fortitudinis ferre nollet, qui medullam ipsam cum Achil-le comedisset. Quanquam poterat fortis ani-mi vaginam tulisse, cui non hebes ad pericul[a] spiritus fuit. Verùm non Iasonis more, sive Dracones sternitis SZEMBECII, sive Leone[s] ut Vellus aureum rapiatis. Nihil ex aren[a] Martis, præter pulverem in galea triumphalem; nihil ex bellico æstu, præter Heroicum sudorem in fronte, & Gloriæ sitim; nihil ex hoste, præ-ter Lauream; ex bellis, præter pericula nihil; nihil ex acie, nisi vulnera, pulchros illos victo-riæ nævos, decoris, monumenta & famæ spoli[a] domum refertis. Hæret in arena calamus: quid Olympo, an Gloriæ Vestræ Olympiis Regale[s] Digiti inscribunt characteres, omni temporum injuria indelebiles. Theodosii Pacatos, Gratiani Ausonios, Plinios Trajani; Reges iterum lau-dant SZEMBECIOS SIGISMUNDUS Primus, Secundus, Tertius, aurea Coronarum Cate-na, elogiorum Vobis nectunt periodos; ubi Vestrorum vulnera Heroum, sunt: & quod-libet Membrum, Manus Regia. Illic *Aman-tissimi Reipublicæ Cives, Fortissimi Viri, Ho-*stium terror: illic Sacramentô Matris *devoti*

Pi-

Patriæ animus; illic *ad omnem bene merendi de Republica occasionem vigilantissimi*, tantùm non Argi dicimini. In ALEXANDRO SZEMBEK, totum Heroum Vestrorum Orbem, sed ingentibus arctatum Viris, Reges complexi, in Lunæ usque cœlum extulerunt. (*k*) Commendârunt in HIERONYMO SZEMBECIOS, quibus inter mensas etiam, quasi prandenti Gradivo, assonant Tubæ; quosque ceu Auroram, somno excitat Martis Lituus. Tot Regum calamis, plurimos per annos, Vestra præscripsit Fortitudo: Igitur hæreditaria est Domi Vestræ. Ità laudati à Regibus SZEMBECIANI Heroës, quæ non implevissetis altaria; si Vos sæculis nostris, superstitiosa ætas præripuisset? Quod temporibus illis Numen Vestræ fuissent ROSÆ, quibus Dii in horto nascebantur? Vos Joves Statores, Vos Feretrii, Vos Belli Numina, consecraretis Templa; nec nisi Vestras ante Aras, per Nomen, per gladium Vestrum, jurâsset Marti Annibal. Sed Vos humanissimi semper, etiam tunc Dii esse noluissetis: neminem ad pedes, nisi ipsam superstitionem jussissetis cadere. Servârunt Vos fata, nostrorum Fortunæ sæculorum, Fortitudinis Exemplô, Martis decori. Implevistis sinum Jovis, victricibus laureis; & in Gradivi Templo, vix pulchriùs pro Aris cernitur orna-

(*k*) *Alluditur ad Tubam D. Hieronymi, etiam inter mensas, quasi insonantem ejus auribus.*

ornamentum, quàm Sanguinis Veſtri Roſæ; quàm Flos Heroicæ Purpuræ, SZEMBECIANI Heroës.

Per Virtutis bellicæ ædes, quid ILLUSTRISSIME ANTISTES, niſi utriusque Honoris Veſtri Templum, ſed prono in venerationem ſtylô ſubeamus? Debet nimirùm etiam Svada aris ſe adſternere; debet ſtylus abjicere majeſtatem, & apex omnis in adorationem ſe componere. At quantùm hìc ex Vobis Nomen? quantam habet Dignitatem Honor? quantum ex ROSIS Florem? Stirpis Veſtræ Arbor, quaſi ex Dodonæ ſylva exciſa foret, ſingulos ramos ad faſces, ad Honorum inſignia protendit. Proſapia SZEMBEKORUM, quaſi Scipionum Familia, ex qua olim omnes ad Trabeam Lacerti. Aut aurum eſtis Delphicum, quod in ſolos ingentium Deorum vultus fundebatur: Aut Domus Veſtræ Capita, Solis ſunt Caput, cujus radii omnes aurei, omnes Illuſtriſſimi. Alti Sanguinis Veſtri ſtella quælibet, Purpurea eſt. Domi Veſtræ, ceu in Honoris Aula, Sellæ nullæ, niſi Curules; nulli cultus, niſi Trabeæ; Viri, niſi Purpurati Patres; & Domus tota Senatus. ILLUSTRISSIMUS PROGENITOR Tuus, PRÆSUL, planè Honoriorum Parens: cùm adhuc ante Faſces Cracovienſis Palatinatûs Calamum ferret, jam Conſcriptus Pater. Sanocenſis deinde CASTEL-

LA-

LANUS, inter continuos pro Patria labores ità Purpuram attrivit, ut novos cultus Muricem Camenecensem induere cogeretur. Et quidem Podoliæ Sol. Aurora nonnisi fuit Diei Purpureæ; radius fuit ascensuri in augem splendoris Senatorii: sed ipsa Cameneci rupe duriorem animum Poloniæ Annibal, JOANNES Tertius, emollire non potuit; unúmque erat, quod Orbis ille Domitor vincere nequiverat; PARENTIS Tui, PRÆSUL, potens Modestia. Amphion etiam, obstinatam illam, & saxeam mentem movisset nunquam, si instructam Honoris filô cytharam pulsâsset. Crederes, huic quoquè FRANCISCO, profundo pedem (verùm non ad Lesconis clavos saucium) hiâsse vulnere, quòd longiùs per Appiam ire detrectaret. Poterat quidem Patritia curuli, aut ultrò se submittentibus Honorum brachiis ferri, si gravis esse alicui scivisset. Parce ANTISTES CLEMENTISSIME! Parcite, Saturni Patris, Joves Filii! Unus Vestrûm STANISLAUS; at omnes Audacem habetis, armatum pennâ stylum, pro Honoris Domo, contra Vos perorat. Simul se Paternus Sanguis in Venas Vestras, simul & crimen Patrium devexit. Peccavit ille in Titulos, contemptrice Modestia; ex dimissi animi fastigio despexit Purpuras, à Vobis repetentur pœnæ. Vobis Regnorum Soles Diem dicent ad Nobilitatis Castra, ad Regni Curias, ad Aulas Re-

 gum

gum, ad Senatum. Quicunque naſcitur Honor; ultionem inclamat, & ipſe implorat vagitus. Adhuc in Coronarum cunis grandem vindictam jurat parva Dignitas. Jam conjurationis pignus, muricis ſanguinem bibunt Trabeæ; & ritu Catilinario, ſeſe cruentant Veſtris Capitibus, Infularum carcerem: Torques aureas pretioſam illam ſervitutem, Collis: Sacra Crucis ſupplicia; Pectori Annulos, hoc eſt Fortunæ Rotam Digitis; Manibus Scipiones: Humeris Togas injicit, ſui contemptus Vindex Honor: Aquilîs etiam Poloniæ, DOMUM Veſtram involat, Aulam illic ſuam & Nidum Dignitatum facturus, Ità ſe ſpretus Honor, de Patre in Filiis vindicat: ità cogit Vos erubeſcere in Purpura, Patrium in Trabeas crimen. Quia PROGENITOR Veſter exceſſit, Vos ſedere pro Curuli, pro Cathedris Præſuleis debetis. Quot verò, & quanti Senatum impletis? Jam PRINCEPS CELSISSIMUS STANISLAUS SZEMBEK jam Tu ANTISTES; jam CHRISTOPHORUS PRÆSUL LIVONIÆ; jam CASTELLANUS WISLICENSIS FRANCISCUS; IOANNES, CANCELLARIUS REGNI DAPIFER, &c. Turba Patrum, Exercitus Trabeatus. Cæterùm Lineam Familiarum, ut infinitam probet Honor, nonnisì quadam Succeſſione ſingulas ex illa Partes accipit ad Curiam; ne brevì ad ultimum deveniendo, Vi-

ros

ros exhauriat per Trabeas si plures simul ac-
ceperit. Plurium Prosapiarum Lumina, quasi Castoris, Pollucisque sidera, in Fortunæ Cœlo nunquam duo effulgent. Videas plerasque Domos; ubi Infulæ, Coronæ sunt: unum nonnisi redimiunt Caput. unam implent manum Scipiones, veluti sceptra. Parca scilicet Decorum alibi natura, Senatorem ceu Cytheream Apelles efformat, multorumque ornamenta in unum transfert: totum decolorat sanguinem, ut una rubeat stilla: quô fit, ut nemo præter unum Honori placeat. Vos in Senatu, non quasi in Arabia, Phœnix unus. Vos Poloniæ Aquilæ Proles verissima, & in Honorum Nido multiplex. Agmen Purpureum estis, non series: non Ingentium Virorum, ceu succedentium sibi annulorum Catena, sed Orbis: in Purpuratorum Corona, Gemmæ; non tamen Uniones. Poloniæ Senatus, si Cœlum est? Vos Hemisphærium illius: Vos Insignium Trabeîs Hominum propè Zodiacus: in quo primum effulgurat SIGNUM tam pulchra ætate, quàm Tituló Major Vobis. quia CELSISSIMUS FRATER ARCHI PRÆSUL GNESNÆ. Quantus hic Vir? Regni, & Maximorum in Patria Titulorum PRIMAS, Vicaria Regum Majestas, Patrum Patriæ Pater. Frons Senatûs, Summuś Purpurarum Color, Optimatibus melior, Clarior Illustrissimis in Honoris Alto fastigium, in Deorum Consessu,

uno minor Jove. Diu crescebat Fabritius, antequam pro Lucio, diu Cyneas antequam pro Pyrrho irent Legati; nec alatîs licèt pedibus in Jovis Oratorem subitò evolavit Mercurius; hic LEGATUS NATUS; tantùm non in cunis, Faciem Patriæ, & Regale supercilium potuit Regnis proferre. Talia supremus alii Apex, & quodammodo Sol in auge, sed PRIMATI nostro, nonnisi mane Sacrum. Ad CLEMENTIS sidera ferrent adhuc STANISLAUM Gnesnenses Aquilæ; & super altiores Septicolli Roma Avitos montes reponent, ut EMINENTISSIMAM faciant CELSITUDINEM. (*l*) Jam à Tyberi navigat sub GALERO Romanus Honor: utque securò veniat remigiô; CLEMENTIS Stella, Cynosura est, ut citissimô; REMIS Velísque ADALBERTI se impellit pro Neptuni Tridente. Quidquid Celsissimum habuit Polonia, hoc vix moto pede: quidquid Primum, Princepsque; hoc secundo statim passu (tam magni sunt!) adiit ARCHI-PRÆSUL: & multæ adhuc jacent Virtutes, quia Culmen, ad quod assurgant, Poloniæ non suppetit: eminebunt Fastigiô Vaticanô. Dives adhuc illi Meritorum Vena; & jam Dignitatum Opes in prœmia exhausit Fortuna Lechiæ; Romanosque Colles, verius Magnes, Aureos Pietatis, Honorumque Mon-
tes

(*l*) *Alluditur ad Remos D. Adalberti, quibus est occisus.*

tes reſpicit, implorat PETRI Claves, ut The-
ſauros Eccleſiæ, unde STANIſLAI Meritis per-
ſolvent: quia Noſtri Virtutes ARCHI-PRÆ-
SULIſ, æſtimat Roma. Fortuna ille Religio-
nis eſt: in ROTA CARDINALITIA ſtare
meruit. Nuper ULADISLAVIENSIſ EPI-
SCOPUS, ex Sanctioris Zeli Officina (ubi non
componuntur vocabula, ut compta ſint; ſed ut
prodeant ſolida, cuduntur) novum extulit No-
men, cùm Diſſidentium MALLEUS, hoc eſt
Inſtrumentum Virtutis diceretur. Malleus
planè, ſed aureus: habebántque pretium pla-
gæ, æſtimabantur ictus, dum vocatam ad in-
cudem, malam fidem, in optimum recuderet
ſimulacrum. Multos tunc ſuô elaboratos Ze-
lô Annulos, PETRI Catenæ adjunxit: mul-
tos in Sanctiorem formam, ritumque effinxit.
Ubi verò inferni ardoris focô excoctus error
induruerat, edomarique non potuit; obtun-
debat aures, ne hæreſis audiretur. Erit cùm
aureus hic Malleus, Auream ſibi Portam Ro-
mæ aperiet CLEMENTIÆ manu: & maxi-
ma tunc erit Cœli Indulgentia, ARCHI-AN-
TISTES EMINENTISSIMUS. Invicta illa,
& pro integritate Religionis, vulneris etiam
avida Fortitudo STANISLAI: illa, inter pe-
riculoſæ aleæ plenos Poloniæ motus, ſecuriſſi-
ma digna PRIMO, & PRINCIPE Regni Ca-
pite, Prudentia illa, inter lautiſſimas Virtutum
ſuarum epulas, jejuna; inter liberales optimè

 tra-

tractati animi dapes, parca in Corpus Temperantia: illa demum in ADALBERTI Lance librans ſeſe Juſtitia, Virtutes ſunt Cardinales; Debentur AUGUSTORUM PATRUM Conclavi. Neque ſomnia hæc ſapientum, ſemiſepultæ mentis labores, aut ſtyli blandientis ludus ſunt. Non dormivimus in Parnaſſo cùm ſcriberemus: non etiam Apollinis cytharam pulſamus ut ludatur Omen. Cùm adhuc SZEMBECIANAS ROSAS plantaret Honor, omen hoc Purpureis Floribus inſcripſerat; nós ex ROSARUM, quaſi ex Sibyllæ foliis, in paginam tranſtulimus; ut hodie adhuc Orbis videat craſtini Solis Purpuram. Quid enim Purpureus ROSARUM Ternio, niſi totidem PRINCIPI CELSISSIMO ſignavit Murices! Alteram ULADISLAVIENSEM; METROPOLITANAM alteram; & (quod felix, fauſtumque) ARCHI-PRÆSULEÆ Virtuti Tertiam, Regali Oſtro parem, Principum Togis Majorem, PURPURARUM PURPURAM, Romanam Trabeam. Agite Superi! Age BEATISSIME PATER! atque è Cathedra Petri fidem adſtrue Oraculo Honoris: PISCATORIS Annulô, Noſtri etiam Voti Propoſitiones, æternæ Veritatis effice, & conſigna. Ingentibûs Meritis redacti ad anguſtias Honoris Patrii Reus, tenetur ARCHI-PRÆSUL Gneſnæ. GALERUM Capiti impone, & noſtris Votis Coronam. Veluti probaret Vaticinium, annuit

nuit ORBIS CAPUT ; & repetito aliquoties nictu STELLA CLEMENTIS, Voti nos fecit securos. Interim dum Romanus Honor Galerum pingeret, geminum favoris sui Nuntium, in Poloniam, & SZEMBECIANAM Domum expedivit : CHEŁMENSEM scilicet Infulam, quâ Tuam ANTISTES ILLUSTRISSIME Frontem ; & LIVONIÆ Tiaram, quâ ILLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI CHRISTOPHORI SZEMBEK Tempora, seculorum pariter, atque Majorum ambitu Vittarum, coronanda, adstrinxit. Viri nunc ad Cæsares Legati Magni, & Legatorum Cæsares. Præfulei Vestri Caduçei, Scipiones sunt Mercurii Virgæ: præeunt, imò prævolant Romuleo Honori, ne prævertantur ; quia properatur Romana Purpura. Ad pulchrum hoc Vobis Nomen, SZEMBECII : Orbi, ad idæam crescendi! Non populari aura non captatis Favoniis, non fastu inflante, sed CLEMENTI panditur aurâ Flos Vester: rubent in Purpuris ROSÆ, sed Muricem habent à CLEMENTIS Stella. (*m*) Non per superbiæ gradus, Cathedrarum fastigia conscendistis : ALBANI Vos Montes, & excelsa virtus ; erexêre in culmen. Quid enim PONTIFEX MAXIMUS attolleret, nisi Ingentes Viros ? Quid avitis Montibus erigeret CLEMENS, nisi si-

 dera;

(*m*) *Stemma Clementis IX. Montes quibus Stella eminet.*

dera; Quid, nisi Virtutes consecraret Cœlo SANCTISSIMUS? Non potes pennam effugere, nuper Infulato Honori elapsus, ILLUSTRISSIME REVERENDISSIME MICHAEL Magnus adhuc paginæ occurris, & si Chełmensis Cathedræ fastigium à Te amovisti. Ità augustior natura Te extendit, ut geminum Orbem simul impleas; sed primùm exorientis Sideris, quod unâ suî pupillâ nos aspicit, Antipodas aliâ, & utrique adest orbi. In Paphiam usque Tuus Te Honor avexit; & nondum è Polonia discessisti. Illic EPISCOPUS PAPHENSIS, imples Cathedram; hic Cracoviensis PRO-ANTISTES, sustentas; planè alterius Cœli Atlas, Hercules. Grande hoc magnitudinnis Tuæ Prodigium? cui par nihil, præterquam ingens demissionis Tuæ Altum occurrit. Metire Orbis, an non Celsissimum sit, quod Turres Chełmæ poterat despicere? Colossus mihi Rhodius es ILLUSTRISSIME SUFFRAGANEE; (nam Tu quoque Infulis non admissis, Miraculum Orbis) mille humeris, infinitis eges artibus, ut gravissimum, & contra sublimia obluctans, Meriti Tui pondus, in cœlum surgat, & Solem. Per omnia demissus, unum hoc non humilis animi, præcelsæ mentis argumentum dedisti, quod sublime Caput patrio Tiaræ nolles submittere. Meditabitur tamen Honor fastigium, ex quo in Tuæ profundum modestiæ subsiliat, de projectis Infulis,

gra-

gradum sibi componet ad Tuum Verticem.

At profanus etiam Murex, Vester est Sanguis: Senatoriæ Gemmæ, sudor sunt Vester, non cœli lacryma. Poteratis plusquam Xerxis classem, millenis meritis implevisse; Gravibus Viris non unam fecisse Onerariam: & tandem per Honoris Altum, Insulis invehi fortunatis: ROSAS in Dignitatum Floridam; Patritium IBICEM in Portum titulorum, an campum? exponere. Poteratis talia: sed etiam Undarum dorsô, & fluctuum cervice in trabeatum littus ferri; impelli turbinibus ad Fortunæ Favonios; ad serenum per tempestates natare; sub tumidis velis ire ad fastigia; nec gloriosum duxistis, nec Vestrum. Displicuit, radium à Sole cum Promotheo rapere, ut ILLUSTRISSIMI essetis; cum Iasone suffurari lanam, ut in trabeam texeretur. Ex aperto Gradivi Campo ivit in Senatum ILLUSTRISSIMUS FRANCISCUS SZEMBEK, Castellanus Wislicensis; gladiô merita suffulciens, non brachiô alienô; non illatus Curuli, sed per ipsa provectus pericula; & ante muricem suo in Sanguine Trabeatus. Per ipsas hostium cædes & gladium acuit, & robur; atque magnetica indole, duris alebatur; sumebat vires ab ipso ferro, animúmque. Tandem cùm militare sagum, magnis meritis brevius esset, Togam ità induit Senatoriam, ut non exueret Heroëm: veluti Se inter Ci-

ves; suum inter Martios Enses Gladium, vellet esse Purpuratum: veluti odisset Fasces, sinè bellica securi. Aut itaque in Curuli equitat; aut Romano ritu, sedendo pugnat, triumphat. Nunc etiam invictus Hastatæ Phalangis Præfectus; planè hastarum DUX, ROSA, collimat ad gloriam; cui pro triumphali meta, *ANNULUS ORBIS ERIT.* (n) Tibi verò ILLUSTRISSIME CANCELLARIE, fucúsne aliquis, Regni Ceras composuit? Permittimus; tota perlustret castra mellea, & ipsa Apum examina, adhuc examinet livor. Tua Regibus intaminata Fides; incorruptus Boni publici Amor; Morum innocentia, Virtutes omnes, volucres sunt Virgineæ, quæ Polonas Tibi Ceras elaborârunt. Huc omnem aviti Floris succum; huc à Fronte Tua, quasi à Cœlo deciduum in ROSAS rorem; huc nectar linguæ; huc totum Te colligis, ut melleum condas sæculum Poloniæ, ut vacuas, iterum favis impleas, Regni Ceras. Non ergo pretiosos sudores Tuos, signatoriâ Gemmâ colligeret Patria? Non manum Annulò Rex coronaret, quæ suum diadema suffulsit? Alti Sanguinis Gemma; dispersi per plurimorum exempla meriti Uniones, & AUGUSTI nostri Achates: Regni Annulo inseri debuisti: Pyrrhi etiam Annulum merueras; quia Unus omnes Musas habes, & ipse Apollo exstitisti: das responsa, ac

(n) *Sarbievius.*

ac Patriæ enuntias fortunam Oraculo Majestatis. Ipsos animi Regii mediatos recessus adis; vides, quod Numen post Augustam lateat cortinam; & ad Regnum, curas solicitas; ad Cives, Amorem Principis refers. Non videres? atqui GEMMA es arcanorum conscia; Coronati Capitis Mens, Os & Cor Augusti, veriùs à Latere Orator, quàm à Throno. Ut ore Gratiarum loquatur nobis AUGUSTUS; JOANNIS voce perorat: ut augustè, Tuâ respondet linguâ & geminam habet Majestatem Facundia; Regiam, Tuique Oris: habet affectum; quia jactatur passim. Te intra Regni viscera dicente, Principis Cor ad nos perorare, Amorem loqui. Non aliter jam, nisì Poloniæ Titus, nisì Delicium, Augusti nisì Gemmeum monile diceris Torquis Regiæ. Si Vatibus fidem adstruimus, sola hucusque ROSIS Aurora; jam SERENISSIMUS etiam Poloniarum SOL, ad delicias usque vescitur, ut ad Regum, & Patriæ gustum Cives esse SZEMBECIOS fateamur. Nisì virtutes Tuæ in Patriæ Ceris hærerent; nisì manum ab ingerente se Tibi Honore, veluti teneret Regni Annulus; quod Tu Consultorium jam Numen? quis Consus assideres Jovi? non surgeret major Joanne. Ad continuum Augusti Solis aspectum, poteras, quasi visô Phœbô coralli-um, non uno Murice rubuisse: verùm nolebas ostrô humeros induere, dum Pàtria lacera-

ratur

ratur: Curuli fulciri, nutantibus Poloniæ rebus. Itaque GEMMAM Regni, & pretiosos aurei Capitis sudores eliquas, ut languentem reficias Patriam. Minister status, nullo honore obsequium Patriæ permutas: tamen sub gravibus Reipublicæ curis exsudatus sanguis, fecit Te Purpuratum. Ecce autem, dum trabeas evolvo, pullam explicuit fatum, ac purpuream orationem funestavit. Dignus sub æterna Rosa vivere ILLUSTRISSIMUS FRANCISCUS Regni Dapifer, sub feralem cupressi umbram abiit. Dum Patriæ dapes, Regno mensas instruit, unus ipse omnia Superûm bellaria, cœlo ad gustum obvenit; sed terris propinavit luctum. Grande funus flevit succinô Balthis, quod in communionem doloris non paleam traxit, sed Florem omnem Poloniæ, SZEMBECIANÆ ROSÆ fato illachrymantem. Neque magni vulneris remedium fuerat, nisi in ALEXANDRO Magno, qui Emeritissimi Decessoris honoribus suffectus, Regni Mensæ, calentissimas inter pateras, suî ardorem inter epulas, famem suî infert: neque tamen satiabit Patriam, donec Senatum impleverit. Quid? non decorê utramque Honoris Purpuram ornârunt SZEMBECII? Alii, Florum PRINCIPES ROSÆ, Gemmæ alii: totus SZEMBEKORUM, quasi Ajacis, floridus sanguis; totus aut in Violas crevit, aut in ROSAS. Ampliora hæc, PRÆSUL ILLUSTRISSIME ex

Vobis

Vobis Dignitatum Ornamenta, quàm vel Pantheon etiam caperet, si Templum Honori sacrum esset, & nondum Mare illud Decorum, Gemmatum Erythræum, Oceanum Purpurarum, sed Tuum ANTISTES nonnisi Fontem (adeò magnus es!) RUPNIEWSCIANUM SRZENIAWAM, affudi calamo. Hoc alti Sanguinis Rubicone emersisti in orbem, cui Sol vellet, pro Oceano, suos debere ortus: hoc enatâsti profundo, quod Maximarum Familiarum, planè naufragium est, sed gloriosum, sed omni fortunæ littore beatius. ILLUSTRISSIMÆ Parenti Tuæ, PRZYIEMSCIORUM Virago, Virtuti Innocentia, Mater fuerat: Virago, Sanguis ille in ipsa Origine Regius apud Anglos, Ducalis apud Lotharingos, Princeps apud Bohemos, apud Polonos perpetuò Purpuratus, Palatinus in plurimis, Castellanus in innumeris, in omnibus Nobilissimus. Talis, tantusque Sanguis fuisse debuerat, qui intra Præsulis venas flueret, qui Primas Poloniæ Trabeas imbueret in SZEMBECIIS Nondum etiam ODROWĄZIOS, PIENIĄZKOS, illum Poloni Honoris pulcherrimum, & ROSIS Vestris Consanguineum Florem explicui. Utrumque Genus Honoris est Familia; Domus utraque Aula Decorum; ubi Caput quodlibet, Apex dignitatum; ubi quævis Lingua Oraculum Consultorium; Omnes Humeri ad Purpurarum fastum, omnes ad Sci-

pionem

pionem manus, Digiti ad Annulos Regni. In cœli etiam coronamenta, utraque Gens sese porrexit; neque Olympum atomô, sed magno sidere adauxit astra; Florum Patriæ implantavit HYACINTHUM, Aurum addidit auro, Sanctis Divum. Quàm Sanctum hoc Vobis SZEMBECII! Cœlum etiam in nexum traxisse. Domum Vestram, Divorum Gentilem: SUPEROS, MAJORES esse Vestros! Talem, nobilissima Virtus Prosapiam, tales optaret Proavos, si nasci posset. Vos tam morum propinquitate, quàm Sanguinis, Sanctis PROXIMI; contermini Cœlo, imò AFFINES; Vos tandem, omnia possidentibus Divis NECESSARII. Supplicatur in Templis Vestro Sanguini; adorantur Atavi pro Altaribus; Terrarum etiam Numina, ante Divos MAJORES non semel procubuère. Sacro thure denigrati vultus, & fuligine ipsa illuminatæ HYACINTHI Icones, Vestræ, PRÆSUL, Fumosæ sunt Imagines, quæ supplicibus Patriæ populis, lacrymas ab oculis eliciunt, ab animo pietatem. Iam desinimus mirari tum sanctos Vestrûm omnium progressus, & quemvis propè Numina passum. Non potestis, nisi recta ad Superos collimare, quos protensa ad Cœlum usque, Linea Familiæ deducit. Ad hæc, ut muricem bibisse, quædam est necessitas, Purpurati fieri; sic ad Pietatem quasi coguntur, quotquot se ODROWĄZIIS colligârunt, quorum omnis sanguis,

Vir-

Virtutis tinctura. Non proferam hìc ODROWĄZIANÆ Lineæ Punctum illud, sed Orbi par? illud, summa aspernantis modestiæ prodigium, Virum ab ævo aureo ILLUSTRISSIMUM JOANNEM PIENIĄZEK. Vestrum Avunculum? Ex Illustrissimi Honoris meridie, quam se in noctem Sol ille condidit! quem in oceanum, ex Dignitatum Cœlo sese demersit! Palatinam Purpuram, & meritis suis magnam; & impressa sibi SERENISSIMI JOANNIS Tertii Majestate summam, & Trabearum antiquitate propè Primam, non tam exuit, quàm (quòd fortiter humeris, velut fixa Cœlo sidera, hæsisset) detraxit: Fasces, Curulem Honori reddidit, sed jam sudoribus suis ornatiorem, & PIENIĄZCII attactu pretiosam. TrabeatumCivem,PatremTogatum, Senatorem, omnia posuit, præter PIENIĄZKUM; quem solum, sed omnibus fortunæ thesauris parem, Libertati aureæ, suæque Prosapiæ servavit. Tantùm scilicet frigido etiam in senio calebat animus pietate, ut Purpuram abjicere debuerit. Æthnæ, aut Vesuvii more, nives in Vertice, visceribus flammam tulit, quâ pro Virtutum cultu in Trabeam exarserat. Ad insolitæ mutationis speciem, quasi Gorgone aspectu, diriguit Honor, Purpura expalluit, prostravit Curulem dolor, & Fasces in mærorem soluti. Sola, publicos inter luctus, cæcitati suæ applaudebat fortuna, primumque tunc orbam oculis

fron-

frontem amavit, quòd sua sperni munera non videret. Ipse tamen Honor solari lacrymas auditus: ILLUSTRISSIMUS PIENIĄZEK Trabeam posuit, non Senatorem: & si conchylium projecit Gemma, adhuc est Unio. Non Tyria lana faciebat Consulem, sed Caput, & Senator animus: Sua cum bombyce viscera debuerat ponere, ut Patriæ Patrem exuisset. Purpuræ subduxit humeros, non labentibus Poloniæ rebus: adhuc Reipublicæ Fulcrum, ingens Colossus, etsi post culmen in puteo stetit. Ut Solem, etiam illi quos in Orbem dejicit, radii illuminant: ut crystallum lux, quam à se reflectit, ac veluti remittit Phœbo, accendit; Sic JOANNEM PIENIĄZEK projecti Titulorum splendores faciunt ILLUSTRISSIMUM; contemptæ Purpuræ, Purpuratum. Quamobrem Magne ANTISTES, si quando Avorum Imagines & Dignitatum, insignia theatro Gloriæ non invidebitis, non stantes tantùm in curribus Æmilianos Orbi proponite; non gestas duntaxat Purpuras evolvite: etiam Fortunæ Rotâ descendentes AVUNCULOS, pulchro fastu calcatos Fasces, detractas humeris Togas, & post ingentium Virorum damna flentem adhuc Honorem ostentate. Utrumque decus est; utrùmque magnum, attamen major videtur Sol, cùm à Meridie descendit; Sublimior, qui montium fastigiis inambulat: Fortuna est quæ Orbem calcat. Jam ma-

magni communione Sanguinis, quæ Vobis invicem ornamenta? quæ Honori transfunditis SZEMBECII, & WIELOPOLSCII? Ceu Ganges gemmeus, aureo commissus Pactolo, ambo ad alterum. Decorum Fons, imò Mare estis: ceu adamas annulo inclusus, uterque Vobis, & Honori uterque corona estis Nuper etiam, pro nuptialibus tædis, LUNA sibi TOPOREA prælucente, Patritiam TARŁONUM Asciam, Domui Vestræ submisit Hymenæus, quòd Senatoriam agnosceret; quòd videret parem, quæ tot Gloriæ nomina, tot Trabeata Decora, Patrum Patriæ, Comitum, Heroum & LXX. propè Familiarum exercitum, Iliadem Poloniæ, non tamen nucleô, sed amplissimo claudat sinu. Veniat totum antiquissimi Generis Senium! veniant Starzæ, STARZONES, STARZII, & quidquid adhuc cognomenti à Polonia Veteri datum TOPOREIS! omnes SZEMBECIANÆ, ut quondam in Honoris Aula, suam habebunt Curulem; quâ sub gravi ætate, & meritorum pondere defessi sedeant, quiescant. Veniant, cum toto ab Vri sui Ore pendente Orbe LESZCZYNII capax apud SZEMBECIOS hospitium habebunt. Venerunt; decora accumularunt decoribus; permiscuerunt sanguinem, dignum ipsius Honoris venâ. Junxerunt SZEMBECIIS sua TARŁONES Stemmata; & pulcherrimum erat Dignitatum Insigne, ROSARUM FASCES TARŁONUM securibus an-

nexi, Senatoriis SZEMBEKORUM humeris colligavit sese nobilissimi cujusque Sanguinis Purpura, & Florem habet ex ROSIS.

Diutiùs hæsimus Domi Tuæ, PRÆSULUM ILLUSTRISSIME: quia stans pro foribus Vestra ad omnes Humanitas limen occupaverat; & nos, Decorum Vestrorum quasi Labyrinthum, blando errore obeuntes, nihil minùs in votis, quàm alas Dædali habuimus. Totam Heroum aciem, totum Purpuratorum Patrum Senatum, Ingentium Virorum amplissimum Regnum, planè Capitolium Numinum vidimus; & multas adhuc Laureas, multos Murices, Decora innumera præteriimus oculô, quòd ad Te, ANTISTES, properaremus. Abiveramus enim à Te; sed tanquam à Mari flumina, quæ undis aucta, iterum redeunt ad Oceanum. Redeunt & Fontes Oratorii, verùm Patritio Sanguine Magni, atque Purpurei; Tuæque Dignitatis Alto, Tuarum profundo Virtutum illabuntur. Abiveramus à Te; sed non aliter, quàm radius à Phœbo: per terras graditur, & Soli inhæret; non aliter, quàm circinus, ingentem Vestri Generis Orbem circuibamus, à Tui Honoris Puncto immoti. Per Vastum Senatorii Sanguinis mare jactabamur: (*) tamen Gentiles Chełmæ tuæ Turres stabant pro Pharo, & Illustrissimi Honoris Tui lucem procul spargebant, quàm immenso SZEMBECIANÆ Glo-

(*) *Stemma Chełma, Turres.*

Gloriæ Oceano diffusi, videbamus. Acus erant
magnetica, nostri calami ; Tu ANTISTES,
Polare Sidus, ad quod vertebantur continuò.
Stamus ergo jam in portu : exponimur : verùm
In Lucinæ priùs Floridam ; quam Honoris ; per
roseam ætatem, ad Infularum Florem ; à Fa-
sciis ituri ad Fasces ; ad Cathedram à cunis.
Natalium ordine Tibi ARCHI-ANTISTES
CELSISSIMUS, & in cunabulis adhuc PRI-
MAS jam ; PRINCEPSque Fratrum fuerat.
Primus salutavit Solem ; quondam Rex Sacro-
rum futurus, atque Polonarum Coronâ Infu-
larum redimiendus. PRÆCLARUM deinde,
Woynicensem Castellanum ; brevem illam in
humanis, & Purpurâ moram, vidit Orbis. Tè
PRÆSUL feræ post alios cunæ acceperunt ;
quod in naturæ adhuc sinu, ità juratus esses
Magnitudinis hostis, ut etiam natu Major esse
nolueris. Diu luctari natura debuit, antè-
quàm ex umbris, in lucem Te proferri patere-
ris. Occumbebant citiùs Soles ; & iterum fe-
stini in Ortum, citiùs surgebant, ut diem il-
lum Orbi adproperarent, quem vel es aspicere.
Tandem ubi Te ostendit Soli Lucina, quô ille
tunc Tui amore exarsit? In Fascias donabat ra-
dios ; suum in cunas currum ; Regiam quoquè
suam nutricem Aulam obtulit, nisi Patriam Do-
mum habuisses non absimilem, Illustrissimam.
Ità jam tunc Soli publico placueras! Quantùm
autem omnium de Te Vaticinia distraxisti! Vel-

uti enim universalem quandam Ideam, cùm Te meditaretur, aspexisset natura, ità ad omnem ingentium rerum formam, Indolem Tibi effinxit, ut nulli impar esses præsagio, nullum falleres omen. Alii triumphali Te ferro destinabant: & omnes belli minæ, pulchra ira in fronte sedebat: totus Martem spirare videbaris. Alii pacatis natum Oleis pollicebantur: tantáque pax vultum, oculos, animum composuerat, tanquam Ianum quis clausisset. Hi Purpureas Rosas, illi Violas spondebant Præsuleas; & omnis Te color decuit. Eædem Manus, & Episcopali Pedo, & Regni Scipionibus placebant. Singula, suos in Fastos omina Honor retulit, ne perirent; quovis interim apud animum Tuum certante præsagio, ut fausto illud exitu, ut Te ipso coronaret. At Tu, PRÆSUL, quæ tunc tacito in sinu fovere gaudia? quas ferre gratias? quæ Sacr adornare Modestiæ, quòd Tuos olim titulos, istas, quæ modò Fronte eminent; quæ luctantur adhuc in Verticem, Infulas, ità abscondèrit, ut illas præduce etiam Vaticinio, cæca palparet tantùm Fortuna? Jam modestiæ velut supra Apollinis cortinam extollebas; quod istam pulsare suffecerat, ut clausos eventus, fatáque aperiret: illud Tua fideliùs decora, quàm sua Gygem gemma celaverit. Inde statim Virtutibus addictus, cùm jam omnia Præsuli haberes, præter annos, & Tiaram, partes AN-

TI

TISTITIS obire cæpisti. Innocens Pectus in Templum, imò in Patheon, Sacerrimam Virtutum omnium ædem; Cor nunquam per flagitia profanum, in Aram consecrâsti; & vix Cœlum sanctius erat. Ætatis deinde Florem, sic sive Patritias, sive quas in animo, vultúque, ipsa plantaverat verecundia; quas pulchrâ suffuderat Purpurâ, ROSAS, Altaribus donâsti: & ardentia thura ita exstinxerunt odore, ut nihil esset Arabia, nisi fumus. Tandem primam Juventæ facem æterno igne accenderas, ut semper ad dedicatam Aram, Custos Virtutum Flamma vigilaret, quasi continuò Sacra faceres Probitati. Creveras jam Majorque eras, PRÆSUL, quàm etiam modestiæ nubes Soli tegendo sufficeret. Tiaris nata Frons prodebat ANTISTITEM futurum; Majestas vultûs Senatorem. Jamque tumultuari Infulæ cæperunt, nisi contentionis Caput, Tuum scilicet verticem, sub oleam declinâsses. Libris impallescere voluisti, ne ex vultûs Purpura futurus Senator noscereris. Hastæ Palladis commodasti manum, ut Pedum eluderes. Placuit eruditis laureis Caput inumbrare, ne adhuc Illustrissimum esset. At verò quod folium tam amplam Frontem tegeret? Totus Apollinis lucus, totum nemus laurearum; Universa Cracoviensis Academus esse debuit, quæ doctum, Umbram, tuum in Verticem projiceret. Augustum hoc, imò ampliùs, PRÆSUL, Ma-

gnum Alexandrum unus Ariſtoteles; Achillem unus Chiron; Tiberium unus Seneca; Tuam literariam Infantiam tota doctiſſimi Magiſterii Univerſitas debuit educare: debuit ſcientiarum eſſe Academia, quæ aliquid Tibi proponeret, quod nondum ſcires. Ut autem facile Tibi ad literas ingenium! Totus intelligentia fueras. Alii ſub docta atomo, tanquam ſub Ætna Enceladus, jacent, gemuntque: Tibi arena literaria, non plus, quàm pulvis fuerat, in quo Tua colludebat Muſis Pueritia. Alii, tanquam non Palatium Sapientiæ, ſed ſepulchrum adirent, immoriuntur labori; neque dant reſponſa, nisì priùs fatidicam avem, Minervæ ſcilicet Noctuam conſuluerint: nihil in paginam fundunt, antequam pro eruditis fontibus, mortuo mari immiſerint pennam. Noſtro ANTISTITI, inter monumenta literarum vivida mens, & quàm liberalis Indoles, tam nulla Ingenii parſimonia; qui nunquam Parcas pro Muſis coluit. Ferebat quidem Caput PRÆSUL Sapientiſſime, quod ipſum Jovem decere potuit: nullam tamen ſecurim, nullum tormentum admiſit, cùm Palladem parturiret. Indignum duxiſti, pro fide Poëtica, torqueri ingenium. Scientias omnes Vertice, & animò complexus, ſolam Apollinis teſtudinem amare non poteras, quòd malè cum Tui celeritate ingenii conveniret. In humaniorem literarum, majus aliquid Homine; Nu-

men aliquod; cùm Divina mente attuliſt ubi è Roſtris, quaſi è Curuli, non Scholæ cogitationes, ſed Oracula Curiæ fundebas. Quid ſeveriores ſcientiæ? manſueſcere cæperunt Tuo in vultu; mitiùs ſuas jactare ſpinas, inter quas jam eminent ROSÆ, dum vix è faſciis caput extulerunt. Equidem non Alexander, tamen Magnus, Ariſtoteli Bohemico obtigeras: cùm ſubitò Eurippus, ſecum ipſe bella gerere, doctæ undæ ſeſe prævertere, ad ætatis Tuæ nobilem Argo imbuendam: Omnes Philoſophantium Cathedræ pulchris perſonare jurgiis. Tu ANTISTES, certantium de Te Academiarum unica, verùm ad eruditam invidiam pulchra Theſis fueras; quam ſingulæ pro Se cùm defenderent, non concedebant ſingulæ, niſi ſibi. Compoſuiſti tamen, utpote jam tunc ſcientiarum Unio, docta diſſidia, dum Lycæis Te divideres. Olomucium imprimìs, grande Philoſophici Nominis, tamen mentis Tuæ Magnitudini impar theatrum ingreſſus; nę uno Te maximô Alumnô, minorem ſe aſpiceret Palæſtra illa, Pragam ſtudia traſtuliſti, ea mentis Majeſtate, ut Carolo-Ferdinandea, id eſt, non ſemel Princeps Univerſitas, à Regnante ibi tuo ingenio, ter Imperatrix, ter auguſta ſibi videretur. Siluit, neque crepare auſa Pythagoræ ſenis docta tuſſis, cùm non rauca, aut obruta difficultatibus voce ætas tua diſputaret. Severior quidem Socrati ruga fuerat, quæ vul-

 tum

tum ad terrenda sibi Stoæ pericula asperabat; sed Tibi Frons doctior, & absque Peripathi minis, perplexitatibus formidanda: cum difficili argumentorum alea ludens ingenium, deque eruditis (ùt ajunt) dubiis, certus cogitationis triumphus. Summum erat Euripi altum; adhuc tamen altius tuum Caput, Scientiarum Oceanus, tantum Mentis profundum, ut alterum in Te, sed secundum, sed amabile naufragium fecisset Aristoteles. Ingens erat Academi fastigium, à quo etiam Cathedris effultæ Mentes, laurum rapere non poterant, nisi acclinâsset apicem: Te eò provexit Ingenii sublimitas, ut dum Pragæ, in illo publicè disputantis Scientiæ tuæ theatro stares, toto Capite, tantùm non corpore toto, supra laureatum sylvam emineres, & doctarum præmia frontium in Tuorum coronam pedum flecterentur. Post Academi Umbras, libuit experiri, an majus soli Theologo Caput, quàm Tibi? an illustriores illi forent radii, quàm Tuarum clarissima dies cogitationum? Tuam quidem sapientissime PRÆSUL, rarissimæ eruditionis mentem, ità Orbis doctior, ceu Ingeniorum Phœnicem suspicit; non tamen illam Phœbus exstinxit Aquinaticus cùm Divinæ Scientiæ radiô accenderet. Ut sanguinem Polonæ Aquilæ, sic indolem ferebas; unoque oculô totum libâsti Solem; & multum adhuc lucis admittebat capacior Mentis pupilla. Quare Parisii,

&

& Ingolſtadium, Gloriæ Tuæ Theologicæ gemini *Poli*, binos in unum contulerunt *Soles*, ut parem tuo pectori Aquinaticum Solem inſererent. Concurrebant magna ſidera; nec Atlantem Verticem obruebant: confluebant Scientiarum maria; nec Te implebant: Sudabant Academiæ, ut eruditionem Tibi affunderent; ſed THOMAS in Te Abyſſus fuerat. Diceris jam Univerſitatum quoddam Univerſum; Mundus quidam magnus eruditorum. Poſſes etiam compellari, Philoſophicum omnis literaturæ Univerſale, niſi quòd nulla cognitione Scientias confuderis, præterquàm magnitudine ingenii. Reſtabat, ut Theologicæ Laureæ Verticem ſubmitteres, quia celſiorem habebas: hoc eſt, reſtabat, ut radios adhuc ſumeres, qui Solis Caput ferres. Et jam Gallia, ipſum Regni, ac Laurearum Florem, Lilia nectebat in *Sertum*: jam integri Orbes exteri flectebantur in Coronam: Verùm ut conſtaret, quô faſtigiô Patriam laurum reponeres, ſupra Tuum, ſimulque ſcientiarum omnium Apicem, eminere illam voluiſti. Urbe illa, quæ Regni, & *Sapientiæ* ſedes eſt; Regum pariter, ac Doctorum coronarium theatrum; Theologicam, quâ, nonniſi docta redimiuntur Numina, laurum, Fronti eruditiſſimæ, ſuæque Gloriæ impoſuit Cracovienſis Academia: manum coronavit Pyrrhi annulô, in quo Muſæ ſunt omnes, & Tu Phœbus.

Jam ergo penes Te Laureæ, Doctorum Annuli, Sceptra, Solia; totum Minervæ Regnum; Tu ANTISTES, Scientiarum Rex, atque doctarum etiam Flos Togarum. Neque autem more Apollinis Delphici, post velum condis Oracula: sed veluti Jupiter, Parens Sapientiæ Numen, Divino è Capite Minervam expedis in publicum; indignum ratus, Tuo, tanquam Olympio Vertici, inhærere literas, ut jaceant, & in Palatio Sapientiæ perinde, atque in Somni domo, altum dormiant. Habes Palladem, qualis Jovi fuerat, intus sapientem, verùm & armatam foris, omni Scientiarum pugnæ paratam. At qua alacritate in aciem descendis eruditam? tardiùs Hercules in arenam, in Alpes Annibal, in Palæstram Athleta prosiliit. Qua majestate conferis arma literaria? Judex nuper Deputatus, cùm Reges suppleres, Lublinensem Aristotelem, non absque Regni Judiciarii plausu Principe, oppugnâsti; & quasi armatum gladiô Sidus Orionis, diem fecisti Academi Umbris; acuisti ingenia. Qua severioris literaturæ moderatione, & invictæ rationis clementiâ, doctè confligis? Pugnas, non ut Palladium Trojæ eripias. Torquatus es scientiarum, etsi Thomæ catenam non detrahas. Pulchra aspernatione detestaris Fulmen Periclis, & Isocratis Syrenem; quòd illud tonet, & sæviat, maximè in Vertices: ista canat quidem, sed ut mentem sopiat ad fatum. Sola Platonis

tonis mella ab ore fundis, ac dulce bellum geris; quasi cum Hybla aut Hymetto apis, de quo melleum refert spolium, nec lædit. Procul distas ab Hercule, qui Capita truncabat, ut Domitor diceretur: procul ab illis, qui eruditæ arbori Verticem dejiciunt, & in lauream ramos præcidunt, ut trophæum habeant.

Talem, tantúmque Ingeniorum Triumphatorem non invitâsset Illustrissimum, Reverendissimum Cracoviensè, Capitolium verius, quàm Capitulum? Doctioris mundi facilè Principem, ad Vavelli Coronas non traxisset? Canonicum Collegium, Præsulum illud Gremium, Infulati Honoris Cunæ, Tuarum Infantiam Dignitatum accepit; cui tam grande statim pondus incubueras, tanquam ANTISTITIS majestuosa gravitas Tecum sedisset. In Vavelli fastigio Titulis conspectissimus; priùs tamen Patriæ Officiis Magnus MINISTER occurristi. Nemo intimior Patriæ, quàm Tu Regni Secretarius; nulli recessus inaccessi *Tibi*; nullæ in obscuro latebræ: omnis, *Te* coram amota cortina. Unum nonnisi arcanum, ænigma unum, *Te* Phœbum licèt, voluit latere Patria: (utinam dum pando abdita, adhuc sub velo Delphico Tuæ loquar modestiæ!) nunc mentem Te Regni; olim Infulatum Caput tuum, Frontem Senatûs futurum. Ne verò *Principi Prælato* Jus Gladii defuisset, suum Tibi Ensem *Polona* Themis por-

rexit;

texit; quem dum manu ſtringeres; pluſquam Hydræ capita ad ferrum Alcidæ, tremebant flagitia. Nullum, etiam armatum potentiâ crimen, tui gladii, ſed magis oculorum aciem pati poterat: nulla non expalluit cauſa, quàmvis fulgur aureum haberet. In annoſi robur flagitii Tu invictum, & fortiùs in dura ſe exercens fulmen. Tonabas, quaſi è Cœlo Aſtræa; ſternebaturque, quidquid innocenti lauro contra ictum ſe non protexerat: cadebant delicta; & Gladio tuo Judice, Victore; pulchro jam nomine profligatiſſimi mores dicebantur. Parte alia, projectis miſerorum cauſis, juſtitiæ manum porrigebas; acclinabas Libram, in qua maximum habebat pondus Cauſa; quæ aurô minimùm valeret. Neque diu librabat ſe miſeria. Breviſſimè, cùm Legibus tamen deliberabas; ut conſtaret, Te momenta rationum, non ſæcula, in Lance Themidis expendiſſe. Illuſtre tunc Nomen merueras, cùm incorruptæ æquitatis Fama paſſim Te, Solem in Libra appellaret: & omnia Solis habuiſti, niſi quòd nunquam radiorum aurum ad Lancem admiſiſſes. Superûm ornamentis addictiſſimus, ſolam Juſtitiæ Aram indui aurô vetuiſti; nullaque præter gladii ferrum, appendi vota. Utrumque ſanctè! utrumque præclarè! Et quia pauperes alibi Divos non pateris; Cultus Divini amor: & quia in aurari Aſtræam non permiſeris; idem egit. Corrumpit enim Juſtitiam

quiſ-

quisquis ornat: pretium detrahit, quisquis divitem facit. Itaque Te Tribunalis Regni Judice æquissimò, Polonæ Themidis Curia, quasi Herculis Templum apud Laconas stabat: in utrumque enim nefas fuerat inferri, adorari Numina, formosum & Dives.

Sed jam Tuum, præ Consulari etiam Securi, Judicem Gladium Fasces exambiunt: in Aulam itaque Honoris ex Areopago procede ANTISTES ILLUSTRISSIME. *Tu* quidem Regni Secretarius, id est grande Virtutis modestæ Arcanum, avitis sub ROSIS latere constitueras: Verùm hæ, tenaces aliàs arcanorum Reipublicæ, unum *Te* non poterant ità tenere, quin palam esses Infulis Magne PRÆSUL. Jam ergo Orbis plausu EPISCOPUS salutari; jam per ora omnium ire? quovis monstrari theatro: Solus *Tu* adhuc nesciebas *Te* ANTISTITEM esse, nisì publicô oraculô nominâsset AUGUSTUS. Quantum tunc ad Honoris Præsulei mentionem rubuit modestia! Purpuræ pallebant, verecundo Vultûs Murici collatæ. Cùm jam Dignitatis manibus elabi non liceret; eò vertisti consilia, ut ut differres titulos. Serò in Verticem admisisti properantem Infulam, quò diutiùs parem Te nobis faceres, nec supra nos emineres. At Dodonæa quercus, etiam sinè fastigio ingens est, magnoque corpore transcendit sylvam. Ipse Volatûs, Aquilam: Te incessûs gravitas, majestásque, quam

Scipi-

Scipione fulciri oportuit, ſupra nos efferebat, monſtrabat PRÆSULEM. Non indecorum hoc fuerat ingenium Honoris, cùm ex Avitis Domus Veſtræ Ceris, in tuum ROSAS vultum tranſtuliſſet, ut Purpureæ Dignitatis notam fronte circumferres: At quàm alia in Ore Tuo florent facie! explicatam aliàs foliorum pompam, (quòd ita juſſiſſes) clauſerunt; ne Purpuram oſtentarent. Sed jam publicis de Te gaudiis conſentis: jam ipſe etiam tuo applaudis Faſtigio; gaudes Culmine, quòd ex Honoris Alto minor appareas; quòd in Purpura, non ſolo Vultu, ſed jam toto Te, verecundiam poſſis ferre, erubeſcere. O Tuæ pulchra inventa Virtutis! ô modeſti animi ſolatia! ipſum Dignitatis altum, in ſuæ demiſſionis profundum trahere velle, ſaltèm videri parvum, cùm emineas: ex trabea colores tranſumere in Pudorem. Bene eſt! concedimus PRÆSUL: Pingat ſe verecundia, ſed murice; erubeſce, ſed Purpuræ Sanguine. Non poteris majora Culmina poſt Chelmæ turres; non poteris Celſitudines etiam deprecari; ut minor videaris. Quanquam neç appares minor; quia non ita in Faſtigio ſtetiſti, ut Te nonniſi ex humili aſpiciamus. Probitate quidem ultra Homines aſſurgis, Diis propior, quàm nobis; relicto Orbe, Cœlo permiſtus, & Superis: rerum tamen Culmina nunquam ita adiiſti, ut ab Humanitate abires. Liberum, eſt

occur-

occurrere Tibi, comitari, & tantùm non eadem Tecum ſtare in Cathedra; tantùm non eadem ſub Purpura incedere, ſi iſta plures, quàm Tuos humeros, idque nondum integros, admitteret. Neque enim Præſuleum Scipionem, ceu Mercurii Virgam non uno cinctam Serpente, manu geſtas, ut nos exſibilet, terreat aculeô. Neque Minervæ parmam fers in publicum, ut Tui Honoris Spectatores in marmor rigeant, fiantque ſtatuæ, ne ſequantur. Quin imò ipſa marmora, quæ humanam ferunt imaginem, animare velles; quòd ſaxeum etiamque ames populum. Sic aditu facilis, ſic alloquiô comis, omnes ad Te, ut electrum paleam, rapis. Vix eò non impingimus, ut Te compactum magnete aſſeramus: ferrum etiam attraheres.

Horrent Spinis Gentilitii Flores; neminem tamen expungunt; ſed trahunt, ſed acuunt amorem; & ipſe metus blanditias habet. Solùmne ex ROSIS Tuis odorem, & non etiam mella legamus? Quos malignæ ſortis æſtus adurit, ſugunt rorem ex Floribus; atque ſub Tuarum foliis ROSARUM, tutelarem Umbram inveniunt. Non Tecum tantùm ſed Tua quoque cum Fortuna loqui licet: quam dum egeſtas affatur, reſpondet manu, nummis pro verbis utitur. Pleique non arbitrantur Fortunam, niſi oculis careat, & inter miſerorum calamitates cæcutiat. Alii ſortes in Urnam pro-

jiciunt;

jiciunt ; planè cadavera fortunæ. Tu AN-TISTES MUNIFICENTISSIME, cœcam aliàs fortunam, Tuæ prodigiô liberalitatis oculatam fecisti ; ut plures jam illa Pupillas numeret, quàm Argus oculos. Si quo, tanquam emortuæ, jacerent tumulo divitiæ ; cogerentur ad liberalissimam vocem Tuam, ceu ad tubam surgere, sepulchris se proripere, à Parcis transferre ad Gratias. At verò non fati cujuspiam partus, Tui sunt thesauri, ut in Urna, illis mortualibus cunis jaceant : non funera sunt, ut mandentur terræ. Argentum omne vivum ; & aurum, Anima quædam, pretiosus emorituræ egestatis spiritus. Tuæ PRÆSUL Manus, Venæ sunt Opum, nunquam defecturæ. Tamen pro tumulo, in sinu pauperum condis divitias ; atque in lacrymas egenorum, veluti in Lethen præcipitas, immergis oblivioni beneficia : damnas ad tenebras, quo obscura sors effulget ; & quàm in alios munificus, tam ipsi Tibi parcus Gloriæ ; quasi una Gratiarum sit, latendi ambitiò. Adhuc Templis Te inferre voluimus ANTISTES : sed pusilla tantùm Virtus brachiis portatur ad delubra. Tu virili animo, non segni passu, ipsi etiam (si vel unguem ab illa posses recedere) præcurreres Sanctitati. At quantum hìc decrevisti, ANTISTITUM Maxime ! non inter pulvinaria Deorum discumbis ; verùm ad genua usque tua Te deprimit Religio, ut mi-

nos

nor Superis videâre. Nunquam tamen magis integer, quàm dum ità inflexo genu non totus homo spectaris? ità medius, centrum es Virtutum. Quanto pondere premis pavimentum! ut sudent marmora sancto sub onere. Quantis, & quàm Divinis cales ardoribus! vix non diffluit silex gelidus. Jam cùm Altaribus Te admovisti, SANCTISSIMUM ad Aras stare putamus, ipsam litare pietatem. Luctari nobiscum cogeris, ut non plùs, quàm Hominem, Te esse tunc probes; neque ceu Magnum quodpiam Numen adoreris. At quando Infulæ radios Præsuleo tuo Vertice imponit Roma, intervenire Orbis fidei non poteris, ne Divum Te credamus. Dicemus: dignum Te Altaribus, quia spirans es Virtutum Imago. Postquam verò immortale Numen precibus fatigâsti, effert se Templô non lassa Pietas, & ingenti Probitatis comitatu deducit Te in palatium. Neque enim Sanctitatem inter Altaria relinquis; sed sidereus veluti homo, Te, & cœlum ubique circumfers. Perinde Lux Tibi sancta in Templis, atque in Domo Illustrissima sacræ tenebræ, & veluti nox astris distincta. Nulla non die mentem, etsi per cœlos nonnisi dispersam, colligis ad meditatos recessus; somnóque, qualem admisisse Virtutem ipsam deceret, detersô ab oculis, non priùs orbem aspicis quàm cœlum; non priùs Illustrissimis titulis diem dicis, quàm sideribus; non Homi-

nes priùs adis, quàm Superos. Solis more, postquam necdum bene relaxatas quiete curas excitâsti; Cœlo Te infers, deliberas cum Divis, longáque meditaris cogitatione, quomodo beatus sis; cœlo vicissim de Te cogitante, ut BEATISSIMUS evadas. Utinam PRÆSUL Optime, quam Tu vivis coloribus Virtutum animas; quam nos rudiore styli linea depingimus, Mentem tuam, auro Phidiæ commodes ad pietatis pretium; melleum animum ceris dones Apelleis! Habemus vota: habet absolutissimum integerrimæ Tuæ mentis simulacrum Olomucensis Convictûs: Tuos in imaginem translatos vultus, faciem sanctitatis, habet: proponit imitationi publicæ; & totidem Prometheos alit, quot alumnos, qui à tuo vultu, tanquam à Sole, flammam rapiunt, atque virtutem animant. Adfuit penicillo fortuna, qua effectum, ut ad vivum redditus spires in tabula pietatem, tantùm non loquaris. In illa colorum Umbra, an nocte, ita effulgent oculi, ceu sidera: ita vultus quasi cœlum radiat; ad fastigium Virtutis ita eminet frons, quasi Olympus. Talis ibi spectaris & non nisi Umbra est Tui, non Tu ipse; Parelia sunt, non Tu Sol; picta est tantùm in icone Sanctitas Tua, & jam meretur aras; simulacrum est Tui animi dignum thure. Quantum hoc! in Palæstram illam, ubi in animos præjicitur fundamentum, ut Virtutes deinceps

pinga-

pingantur, Indolem Te attulisse; non tanquam nudam telam, veneni pariter capacem, atque sanioris succi; non tanquam rasam tabulam, illo solo rectam, quòd sinè deteriore linea. Sed jam talem, ex qua pingi posset, quod Sanctissimum est; scilicet Tu ipse, Virtutum omnium prototypon. Cuncta hæc, quæ congessimus; infinita cætera animi tui decora, quæ nomen etiam non haberent, nisi Tu imponeres; Nobiles sunt Virtutes, Principesque, & in Probitatis Senatu Patritiæ; decoræ mentis cultus sunt Purpureus; & pulchrè incedentis animi quædam Trabea. Verùm hæc quoque Probitatis Purpura, ex Te, ROSISque Tuis colorem, ex Te Florem habet. Tu Purpureæ Rosinus Verecundiæ; Tu Florianus; Tu omnium Virtutum Hortensius. Narcissum etiam vocaremus; nisi quòd egregiæ mentis formâ, omnibus, præterquam Tibi placeas.

Reliquum est, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, ut Sacræ adhuc CHEŁMENSIS Antistitii Purpuræ Florem addas: ut Gentilitias ROSAS, Præsuleis annexas Viols, Pontificii Tui Aris inferas; & facias Floridissimas. An Purpureum Tui in Patria Honoris, ceu Solis, Ortum, non prima Chelmæ Turrium Culmina acciperent? Illa est Infula, quæ CELSISSIMO ŁUBIENSCII Vertice, paucorum spatiô annorum sedit; ILLUSTRISSIMAM THEO-

DORI WOLFF vix adiit Frontem: per Ingentia Capita tantùm se convolvebat, ut Tuum in Verticem properare, ruere videretur. Illa est Infula, quæ gemino ore, (parum enim fuerat, uno Te, anhelâsse) altero Cœlum versùs, alterô ad terram diducto Orbi; utriusque Numina exorabat, ut Tuam Frontem impetraret. Sternebat se Terris Scipio, pro Tua supplex manu. Annulus, Tuorum maluit Temporum, quàm Æternitatis Symbolum esse. Tantum Infulati hìc Honoris desiderium, tanta contentio fueras ANTISTES! Tu quidem (si Modestiæ gravis fieri in primordiis, Patria voluisset, nec illam minoris assuetudine eminentiæ ad ferendam Honorum molem pararet.) Meritorum suffragiô sublimiores Cathedras adire potueras, non Diviniores. Quanta enim Cathedræ Tuæ Sanctitas? non uno consecratur Numine. (p) Capitolium hìc, & Consessus Deorum, sed Tu Jupiter: Pantheon hìc Sanctitatis, sed Tu Princeps Virtus: Cœlum hìc quoddam, sed Tu primum Mobile. Quidquid est Apostolici Nominis, totum in Titulum, & Tuæ Nomen Cathedræ cessit: Unam Aram, omnes insederunt APOSTOLI: nec angustum est hospitium, sed Virtutis Templum amplissimum. Vide PRÆSUL

unde

(p) *Cathedralis Ecclesia sub Titulo Divisionis Sanctorum Apostolorum.*

unô veſtigiô quò proceſſeri ? Infulatum Caput, ANTISTES, Princeps es Apoſtolorum: Si alterum paſſum feceris, propè Terrarum Nomina conſiſtes! Jam eo pede, quô ad immortalem pergis Gloriam; eo comitatu, quô Divus Honor triumphum acturus ſtipari vellet, progredere, ILLUSTRISSIME REVERENDISSIME ANTISTES. Deducunt Te Virtutes ipſæ: ferunt Populi, deſideriis, tripudiis, manibus etiam, quaſi Animis vellent inferre. Tam altæ ſunt geſtientium acclamationes, ut Cœlum audiat; tam confuſæ, ut Vota ſe non diſcernant, nisi cùm Tu PRÆSUL, cùm Tu Pater, cùm SZEMBEK compellaris; quòd hæc, Nomina ſint Vocaliſſima. Eunt ſub nubes uſque Gentilitiæ Urbis *Tuæ* *Turres* pompam à longè ſpectaturæ. Minores verò intra ædes, poſt effuſos ad *Te* Populos, ſola manſit Ira, ſola diſcurrit Indignatio, quòd ad Culmen illud non creverint, unde Adventus *Tui* copiam habuiſſent. Jam CHEŁMENSIS ECCLESIÆ Oſtia, magnitudine tædii in majus verſa gaudium, non tam patent ad *Te*, quàm hiant; & aperta veluti Concha, Gemmam exſpectant. Feſtivos ignes urunt Altaria: nihilque eſt toto *Templo*, nisi æſtus, nisi ardor *Tui*. Illa verò CÆLI CATHEDRALIS Sidera; illa Dignitatum Nomina; PÆSULEÆ Frontis CANONICÆ Palpebræ; illi

Tuæ

Tuæ Cathedræ Aſſeſſores ; Tuus Senatus, ANTISTES ILLUSTRISSIME ; quanto ſe Tibi agmine? quanto Salutationum Exercitu obviam effundit? Omnes Honoris Tui Vias publica Veneratio, fauſtæ apprecationis; multus Amor occupavit; ut iter non habeas, quô in Tuî deſideria, in Animos non incurras. CATHEDRAM, nonniſi per Tuorum Corda Procerum triumphalem veluti Portam, adibis. Tot plauſus, triumphi, tot Studia Te ſalutant; & nondum omnia. Dividunt ſe in Orbem, Tutelaria Cathedræ Tuæ NOMINA, & utrumque ſibi Mundum partiuntur Apoſtoli. Cum aliis navigabit nomen Tuum per maria; ibit per terras cum aliis: Hiſpanias, Romam, Æthiopes, Indias, Orbem Tuis laudibus implebunt omnes. Summis plauſibus accedit adhuc Minima JESU Societas, & in Honoris Tui Appiam ROSAS ſpargit, ut tantùm per Purpuram incedas. Votorum etiam Florem adjicit. Tantas vive ætates ut pulchrum Tuî Senium, Seculum ſit Dignitatam: ſub maximis Infulis exſpecta canos. Ament Tuas Superi Virtutes, non invideant. Colligimus Vota omnium: ROSASque Tuas, immortalem vovemus, longævum ſperamus

FLOREM PURPURARUM.

Et hæc

A. M. D. G.

CO

CEL

SZ

Episc

R. P.

CO

E

è

ſpes,
ſecun
primi
proba
innu
Anno